Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tvrbo, Sive Moleste Et Frvstra Per Cuncta Divagans Ingenivm

Andreä, Johann Valentin

Helicone iuxta Parnassum [i.e. Straßburg], 1621

urn:nbn:de:bsz:31-107371

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

22 V 33 M.
I454

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Wenzelburger.

—:: 7 fl. 24. x:

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

XXIX. a. 20

3919

669

TV

MOLESTE

ER C

ING

In Theatru

HE

In

ANNO

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Baden-Württemberg

Andreae

TVRBO,
SIVE
MOLESTE, ET FRVSTRA
PER CUNCTA DI-
vagans.
INGENIVM.
In Theatrum productum.

HELICONE,
Iuxta parnassum.

ANNO M. DC. XXI.

1621

100B76963RH
I
Fg
Mit Lat
S

SAGACISS
OCVLAT
Mo

dum human
tege

S.

Odium, quoi
optime Vir,
ne, ut huic libell
pefigerem, vel e
cilum subduceren
vitia tua æstima
merum in hoc ips
sim ipse me tibi
tuo hoc, quicquid
Hactantum, si
licet, exorans,
& in aurem fac

SAGACISSIMO ET OCULATISSIMO MOMO

Rerum humanarum Censori integerrimo.

S. P.

ODium, quo inter homines laboras, optime Vir, nequaquam me movit, ut huic libello distichon contra te præfigerem, vel examini tuo me clanculum subducerem: æquior ego innocentiæ tuæ æstimator, & delictorum meorum in hoc ipso ludicro optimè conscius ipse me tibi sisto, & Patrocinio tuo hoc quicquid est lubens committo. Hoc tantum, si pro me petere aliquid licet, exorans, ut quod aliis breviter & in aurem facis, mecum clarè at-

que prolixissime communices. Faxo ego nec emendandi in te laborem te perdidisse dicas, nec irritatum tuis monitis unquam conqueraris. Vale, & nostri seculi sciolis nunquam obsecro parce.

T.

Officiosus

ANDREAS DE Valentia.

Opinio prima egreditur, Regiè induta, sed variegata, cum libro aperto, cogitabunda, quæ cum muta, semel, aut bis obambulavit, regreditur; sequitur

Veritas.

HAnc, quam vidistis egredientem, deambulantem, ingredientem, quam esse, quæso, creditis spectatores? Reginam, quia coronata, potentem, quia cũ sceptro, Eruditam, quia cum libro, felicẽ quia ornatu abundat: prudenter, quia cogitabunda; undiq; tandem politam, quia incessum est metita? Vah erratis! *Opinio* est, *Opinio*. Illa, quæ superiorum opera dirigit, inferiorũ labores incrustat: Sciolorum Sapientiam auget, Ignorantium stuporem declinat: Divitum miserias tegit: Pauperum indigentiam acuit: Artificum ingenia fovet: Rusticorum duritiem continuat: Sophistarum lites conservat: Simplicium admirationem promovet:

vet: Conjugum cruces extenuat: Cælibum errores excusat: Curiosorum arcana involvit: Supinorum neglectum approbat: Quid opus est verbis? Nemo est è vobis, nemo in tanta ingeniorum varietate, cui illa sese non exactè accommodet, cui non illa subrepat, quem non vincat, cui non sua commendent. Huic genus, huic honores, huic potentiam, huic Artes, huic labores, huic linguas, huic Amores, huic vinum, huic vestes, huic otium, huic aliud quid insinuat, & rebus minutissimis superbire facit. Illa est, quæ pupas vobis distribuit, quibus luditis, auriculas imponit, quibus triumphatis, nolas assuit, quibus personatis, magni juxta ac minimi, viri, fæminæ, juvenes, virgines, pueri, puellæ. Sed quid ego? nisi ut odiosa vobis sim, ut quod soleo, præmium accipiam. sed quiescite tamen. Iam ego vobis producam *Opinionis bellum Nepotulum Turbonem*, quem è vobis multi agnoscent, multi ridebunt, multi miserabuntur, pauci

ita

ita intuebuntur, ut quod in eo vitiosum emendent. & ad solidam mentis quietem sese componant. Lepida actio erit, spectatores: vos animis & silentio obsecro adeste.

PERSONÆ COMEDIÆ.

Opinio.	
Padotriba.	
Turbo.	
Curio.	Scholares.
Lentulus.	Scholares.
2. Scholastici	
Harlequin.	
Psittacus	Rhetor.
Stellinus.	Mathematicus.
Pilsius.	Politicus.
Vanuthus.	Historicus.
Horatius.	Peregrinator.
Gerson.	Gallus.
Malliet.	Gersonis famulus.
Pollux.	Magister ceremoniarum.
Panurgus.	Magister linguarum.
Geryon.	Pugil.
Lapitha.	Discipuli Pugil.
Blessus.	Discipuli Pugil.
Labella.	Virgo.
Rubella.	Ancilla Virginis.
3. Musici.	
Arminius.	Amator.
Brandon.	Arminii Amicus.

2. Famuli.

Beger. Chymicus.
Prudentius } Duo Cives.
Fabius. }
Haſpellus. Artifex.

Sapientia.
Veritas.
Tranquillitas.
Acquieſcentia.
Mediocritas.
Iudicium.
Eruditio.
Integritas.
Simplicitas.
Tolerantia.
Solitudo.
Contemplatio.
Mors.
Fama.
Dives.
Sciens.
Honoratus.
Felix.

Argu-

ARGVMENTVM COMOEDIAE.

TURBO *inquieto passim agitatus usq́; & usq́; turbine,*
Vllâ nec in re constans magè, suâ quam in inconstantia.
Rhetorica *tractat, studia post* Logica, *dein* Matheseos
Bonâ haud iuvante fortunâ adgreditur: artes & has
Omittit, ac Historica *volvit atq;* Politica,
Cumq; illum earum tædium cepisset & fastidium,
Omnes in oras planè inusitato fertur impetu.
Nec mora: dat operam linguis, mores discit exteros pugil,
Vt & choragus, & amator fit, lustrisq; liberis studet:
Et hinc amorem sibi faventem expertus est, & efferum.

Rur-

Rursusq; ad artes curiosas animum adjungens, quicquid est
Seu temporis reliquum, bonæ seu mentis ac auri, omnium
Vnum facit dispendium: hinc fugit, animum despondet, &
Suam dolet vitam, à Sapientia *ad quietem tandem ducitur.*

ACTVS PRIMI

SCENA I.

Pædotriba, Turbo, Curio, Lentulus, 2. Scholastici, Harlequin.

P. ITe meæ, felix semper pecus, ite capellæ. Virgilius in Eclogis, per Metaphoram huc allatum. T. Adsumus, Domine Magister. P. Hunc diem vobis feriatum faciam, id est, Parnassicam respirationem. Tu vero scin' pro scis ne, quid sit Parnassus? T. Parnassum ajunt montem esse præcelsum, cujus fastigium si quis attingat, victurum esse pòst cum Musis & Gratiis omnibus beatissimè. P. Optimè, sed adpone, id constare magno labore. T. Non subterfugio, dum id assequar, quo semper alliciot, Felicitatis & Tranquillitatis fastigium. P. Adnitere porrò, jam sub meo conductu Arcem illam haud ita procul prospicis. T. Quî id sciam? P. Facilimè. Nam quod benè mihi, benè tibi, benè sit scholastico

Ordini

Ordini (Lipsius de convivis Veterum) decennium jam te audientem Præceptorem δωδεκαμήχανον, abundare oportet Erotematis Dialecticis, Physicis, ac Ethicis, quibus ceu gradibus eò ascendisti, ut postliàc infelix esse non possis. Nam & τρόπον ἐπιστήμης jam habes, & syllogismos in omni figura nectis, & cornutis (dilemma vocant) fortiter pugnas, tum ille hominum miraculum, ἐπιστημονικὸς, per εἰ ἔστι, τί ἐστι, ὅτι ἐστι, & Διότι tibi exactè cognitus est, Scis enim demõstrationẽ ipsius Eclipseos, & ipsorum rectorum in triangulo, & majoritatem ipsius totius, & definitionem ipsius hominis, & cognitionem ipsorum infinitorum terminorum, ut κατὰ συμπλοκὴν λεγόμενα, πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνὸς, κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον, κατ' ἀλλήλων, κατ' ἐξοχὴν ἐνέργειαι, τὸ δ' ἔτι, τάξις, οὐσία, πάθη, περὶ τῶν πρόστι, ἀσιώδης, ἁπλῶς, ὅλως ὅλον, αἴτιον, καθ' ἕν, πρὸς ἕν, κατ' ἐντελέχειαν, τῆς κινήσεως τέλος, ἡγούμενον, ἑπόμενον, ἕτερα, κατὰ μέρος, εὐπορία προτάσεων, καθ' ὅλα συγγενῆ, λαμβανόμενον ἀδιαίρετον, ἄτομα, εἴδη, μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, κατὰ παντὸς, ἀντίστροφον,

ςροφον, καθέκαςα aliorumque admirandorum, quibus non tantum Philosophiæ portas omnes promptè aperis, aut à Cedro, ad Hysopum usque egregie disseris, sed & inter mille millenos potius admirabilis videris, quam intelligibilis. Itaq; ne dubites, vix tribus aut quatuor passibus à voto tuo abes; scilicet, ut adjungas adhuc nodosas aliquas, gordionias, multum vexatas, tristes ac spinosas quæstiones, quibus homines ita constringuntur, ut exitum non reperiant; te verò è sublimi Sapientiæ arce despicientem suspiciāt. T. Gestio equidem & promptitudinem meam offero. P Sed interim horum fortunas negligimus, te, qui κατ' ἐξοχὴν discipulus es, horum etiam curâ tangi oportet. Incipe parve puer, cui non risere Parentes, & profer aliquid è literario nostro Regno. C. Magis magnos clericos, non sunt magis magnos Sapientes, P. Vnde id habes? C. In libello meo. P. Hæc sentētia vitiosa est, quoad materiam, & quoad formā, quatenus enim Grammaticam attingit, nulla est constructio, quatenus

tenus sensum, est Sarcasticus, sed tu fac syllogismum. T. Omnis sententia, quæ est vitiosa respectu ipsius materiæ, & respectu ipsius formæ, est maledicta. Curionis sententia talis est, Ergò. P. Curio proba Minorem. C. Omnis sententia, quæ est contra clericos, est vitiosa quoad Materiam, & quoad formam: Hæc talis est. Ergo. P. Sequens proba Minorem. L. Omnis sentētia quæ negat, clericos esse sapientes, est contra clericos, Hæc talis est, Ergo. P. Minor sequens. D. Qui Clericum dicit non esse Sapientem, occidatur: Qui occidendus est, est Latro: Qui Latro est, hominem occidit: Qui hominē occidit, est Cain. Ergo, qui clericum dicit esse non sapientem, est Cain. P. Sequens quid habes? D. Qui Cain est, est Adami filius: sed qui Clericū spernit. Cain est, Ergo est Adami filius. P. Ecquid tu habes B. Nihil. P. Quomodo intelligis clericū? B. Ein Schulfux. P. Quid significat liquida? B. Ein Schmelzer. P. Quid duplex? B. ein doppelstimmer/ zwistimmer. P. Recita Alphabetum. B. A. b. c d. e. &c. P. Turbo, recita aliquod versus ex Virgilio. T.

Quiq; suos patimur manes, exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus.
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumq; relinquit
AEtherium sensum, atque aurai simplicis ignem.

P. Quomodo interpretaris? T. Iudico intelligi Scholam. P. Ha ha, he, interjectio ridentis, possésne adplicare? T. Tentabo. Quisquis patimur manes, id est, singuli vapulamus, aut virgis cædimur: Exinde, id est, post decennium. Mittimur per amplum Elysium id est, ad celeberrimam aliquam & liberrimam Academiam: Et pauci læta arva tenemus, id est, non omnes Sapientiam discimus. Donec longa dies, id est, usq; dum in senectute, & absoluto errorum nostrorum cursu. Concretam exemit labem id est, contractus scholasticismus nos derelinquat, & plenè sapere, ac ingenio ad Nobiliora uti sinat. P. O Turbo, Turbo, est aliquis Dæmon, qui te

à Scho-

à Schola avocat, eum fuge, tanquam qui à virtutis semita ad voluptuariam abducet, T. Scilicet à Grammatica ad Politicam. P. Væ tibi Turbo, nam jam periisti juxta illud. Studierstu wol / so wirstu braten Hüner voll: Studierstù vbel / so issestu mit den Säwen auß dem Kübel. Sed tu Curio recita aliquid. C.

Luctus, & ultrices posuêre cubilia curæ,
Pallentesq; habitant morbi, tristisq; senectus.
Et metus & malesuada fames, & turpis egestas,
Terribiles visu formæ, lethumque laborque,
Tum consanguineus lethi sopor, & mala mentis
Gaudia.

P. Vbi hæc sunt? C. in Schola. P. Vapula furcifer, itáne contra me conspirâstis. C. Veniam dabis Domine, Turbo ita docuit. P. Iupiter Stator, & tu glaucis oculis Minerva. Turbo meus, exactus lectionum mearum auditor, furit, furit inquam

inquam, nam quis unquã ſanus bonis literis maledixit. Videto fili mi, fili mi videto, indignam facinus, tot bona verba, quæ in te ſeminavi, interire. T. Præceptor, neq; in tuis laborib. quicquam deſidero, nec in ipſis literis, ſed in meis profectibus, ut qui poſt decennium nihil eorum, quæ hoc pulcerrimum univerſum complectitur, ſcio, tantum vocabulis & præceptis ad labia uſq; refertus ſum, atq; diſtentus, ut quoties os mihi patet, magnam farraginem ejiciam, nec niſi ſyllogiſmis, diſtinctionibus, maximis, & monſtroſis voculis inter elegantes & eruditos perſtrepem. P. Vah ſimplex caput, nondum intelligis, quã eo ſis nomine admirabilis? illa craſſa & concreta capita non capiunt tam abſtractum, & Logicum de rebus judicium, ut Exempli gratiâ. T. Non opus eſt. P. Ergo neq; delectaris ultra meis contemplationibus? T. Omnino, ſed vellem tibi parceres, hic enim dies quietis eſt, non laboris. P. Aliis quies curæ eſto: qui literarum elegantiis capitur, in mediis laborib. ſentit dulcedinem. T. Equidem credo,

niſi

nisi enim id foret, nunquam posses in tantis subtilitatibus Bocardicis, & Darapticis ad Senium usque perseverare. P. Alienatæ mentis es: abeamus, ne quid reliqui ex his sermonibus concipiant. Ite, claudite nunc rivos pueri sat prata biberunt.

SCENA II.

Lentulus, Psittacus.

L. INdignum facinus, hanc esse decẽnalis laboris gratiam, ut obolo vẽdita velit quæcunq; didicerit. Atqui non est inter nos, artium terminis, & Logicâ illâ linguâ disertior. O mihi id cõtingat, nolim cũ Indicis Thesauris cõmutatũ. Quid enim Deũ immortalẽ: quã sublime eos audire disputantes. Ego quidem fateor, haud intelligo. Sed puto Angelos ita loqui, nihil enim eorum est, quæ videre, aut tangere possumus, sed nescio quid sublime, certe nescio. O Turbo turbate, quãtũ nobis das turbæ! & turbas senẽ nostrũ Magistrũ, jam de tuis profectib. gauden-

dentem. Ps. Hic Turbonem nominat, mirũ ni linguæ Dialectico-Physico-Metaphysico-Ethicæ nuncium remiserit. L. Et qui poteras Nobilitatem tuam reddere Nobiliorem, eam nunc reddis ingratitudine infamem. Ps. Non dubito, quin id fecerit. L. Illud est, quod Præceptor nimium te honoravit, nimium amavit, indulsit. Ps. Adeundus mihi hic Homo est: heus Scholastice L. Quis ille importunus? Ps. Heus Studiose. L. Domine. Ps. Si vales, benè est. L. Ego valeo. Ps. Ornatiss. & humanissimus Dominus Præceptor an valet? L. Haut ita satis. Ps. Animo meo malè est propter illum, an decumbit? L. Iam fortassis: ante horam optimè habuerat. P. Explica mihi. L. Nobilissimus noster Dominus Turbo, nescio à quo seductus, literis ἁπλῶς valedixit, & se neq; scire quicquã, neque Præceptori multum debere, disertè profitetur. Ps. Hic homo condemnandus foret ad cãpos Gurgistidonios, ubi Bombomachides, Cluninstaridysarchides est Imperator summus, Neptuni Nepos.

L. Ne-

L. Nescio quid dicat dominatio vostra.
Ps. Sed unde contraxit hanc literarum
nauseam? L. Incertum est, dies jam quar-
tus præteriit, cum ille frequenter apud se
murmurat: Hei mihi, qui nihil scio! heu
quam ineptus fui inter illos! heu barbarā
linguam! Hæcne illa sublimis Arx? Vah
decē annos! O pueri quam stulti sumus!
phui, quā me illi irriserunt! &talia infini-
ta, donec tandem in facié Præceptori ma-
la dicere ausus est. Ps. Quid tandem pro-
tulit? L. Erubesco. ajebat parum inter-
esse, sive quis calceos veteres consuat, si-
ve his spinosis studiis vitam omnem atte-
rat, utrobique laborem esse; Vsum ad hu-
manam vitam perexiguum: postea com-
motior & in Præceptorem ipsum (heu fa-
cinus!) irritatus. Illane est hominis supra
quàm humani sedes! qua dum terrena o-
mnia sint, aut dijudicanda exactè: aut no-
stris usibus accommodanda dextrè, Phi-
losophus noster, tanquam ipsam Mi-
nervam parturiens, anxiè sedeat, profe-
ratq; Datisi, Bocardo, Ferison. Mox ad
unius obuli dubium fulgorem anhelans
accur-

accurrat, & milletitulis, mille verſiculis, mille lachrymulis, è Topicarum propoſitionum omni acie eum emendicet. Ps. Quid interea Dominus Magiſter? L. flevit, nam quid ageret? Turbo jam diſceſſum parat. Ps. Etiam diſceſſum? L. Et literarũ etiam divortium. Ps. Credámne tibi? L. Vellem aliter eſſet. ſed quid audio? convocamur ad Præceptorem. Ps. Audi. L. Non licet, valeat V. Dominatio. Ps. Abi, quàm hic homo ſubitò evanuit. Oportet catapantiſticam eſſe campanulam, ut omnes cõvolitent Protonoematici, Epiſtemoniſtæ, Topiſtæ, & Elencharii. Vah miſeros reſtiones, deperditos retiarios, & laqueorum venditores inopes, quos niſi Mors à morte nemo ablaqueat, nec retibus quenquam capiunt, niſi Diogenem, cui corona faciunt, aut Heraclitum nõ riſibilem, aut murem rodentẽ ſyllabam, aut Æthiopẽ album, & nigrũ; aut ſane ſi venẽtur leporẽ, & leporem, ha, ha, he! quàm conſului accommode Turboni his vinculis ſeſe uti mature eximeret, neq; his reſtib. in cõſpectum Solis unquam

quam ultra prodiret. Eloquentia potius, ô Nobiles, vobis curæ ſit, quæ non, veluti. Semper clauſa manus Logicam deſignat avari: Nec intra jejunos & pulverulentos ſubſelliorum Scholaſticorum ſpecus deliteſcit, ſed in Regum, Principum, Magnatum auguſtiſſimum conſpectum prodit, ſummamq́; movendi, ac ab hominibus quidvis impetrandi poteſtatem penè divinam accepit, ſuoſq́ue reddit amatores ut celeberrimos, ita beatiſſimos. Sed quid ego hic declamito, & verba prodigo condigna Regum auribus? Potius Turbonem meum excipiam, qui perpaucis exauditis incitamentis, tranſivit è Caſtris Logicis ad Rhetorica.

SCENA III.

Harlequin, Turbo, Stellinus.

Ha, DAte mihi locū amplū, latū, atq; reſonabilē, ubi ridere ſatis liceat, & jubilare, & conclamare, & blaſ-

blasphemare, & imitari, & verberare sufficientissimè. In Scholam amplius nec ibo, nec lectionem recitabo, nec virgis castigabor, nec Præceptorem observabo, nec ludere prohibebor, nec à puellis irridebor, & Præceptor, ubicunq; & quoties occurrerit, vapulabit. Turbo Dominus factus est, & ego ab ipso proximus.

—Ille ego sum nulli nugarum laude secundus,

— Quem non miraris, sed puto, sospes amas.

Ergo glucah, Minor probatur; Quia Dominus sum. Sed pædagogus ita intus fluit, ac diffluit, ut laxatione ullâ ei opus haud sit. Consequens apparet, quia ducentis, quos à mea institutione habuit, florenis mestruis posthàc carebit, nec unquam in posterum, quod præceptor meus sit, gloriabitur. Turboni admodum iratus est.

— Me quoque, quod monui benè multa fideliter, odit,

—Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit,

Sed hæc lingua in posterũ perorabit, tanta cum

Studia Disputatoru ineptorū

tâ cum vestrâ admiratione, ut corruatis & moriamini. Ita enim Psittacus promisit. Verùm comprimenda nunc est, quia Turbo ipse adest. T. Annon ego infelix fui qui cùm ad supremum bonum alacriter tenderem, vocabulariam illam, & nescio quam nebulosam Philosophiam per magnum in Felicitatis Regno, imò primum habere locū mihi persuaderi passus sum! Sed ubi primum in lucē hominum veni, cùm passim omnes riderent genus meum dicendi syllogisticum, tum ob creberrimas captiones, distinctiunculas, & digladiatorios terminos contentiosus apparerem ac exinde molestus fierem, illud quidem succurrebat: insanum vulgus, tantas argutias & phantastica secreta, minimè sapere: Linguam etiam meam omninò non intelligere. Verùm cum animadverterem, eos non tantum in conversatione suaves, in consiliis graves, in inventionibus acutos, denique rerum, quæ à me tot monstrosis involucris protrudebantur, haud ignaros, sed sub elegantiori veste peritissimos esse, succensui mihi ipsi, & mox

De studio Oratorio,

libellos illos meos intra me condemnavi, paratus quovis potiùs aufugere, quam syllogisticis vinculis vltrà detineri. Commodum Psittacus intervénit, qui ut primùm Oratoriæ suavitatem, amplitudinem, cõmoditatem ac usum mihi aperuit, fateor, traxit me lingua sua, & omnino omnes conatus meos sibi subjecit. Et hodiè quidem oculos meos insigni librorum multitudine refecit. Quorum copiam promptè obtulit, ipse ad læta variaq; Autorum prædia me deducturus. St. Malè sit ei, cuicunq; horologii cura commissa est, ita nec indice nos, nec sono docet, qua simus parte diei, itaq; aggressus sum, si per Solẽ liceat, horam notare, qua natus est, Vicini mei filius, Auspicato credo, & syderibus faventibus: sed id patebit ex horoscopo. Deum immortalem! hic Turbo ille est, ob quem nostræ turbæ. T. Euge Stellinum, nunquid nobis novi è Cœlo affert? St. Adibo hominem, & cerebrum ne ei adeò turbidum sit, ut audio, experiar. T. Quod felix & faustum, novus conflictus. St. Salve generose Adolescens.

ſcens. T. Salvus ſi Domine. St. Ecquid jam arma meditaris, aut equos, vel canes, poſtquam literis valedixiſti. T. Ego literis valedixerim? quas ego amo ut oculos meos, imò depereo. St. Atqui certa nobis fama eſt, te literis ſcripſiſſe repudium omnibus. T. Nunquam illud in mentem mihi venit, ſed jugum ſaltem excuſſi Logodædalorum, qui nihil credunt eſſe literatum, niſi quod nexus & nodos reſipit. St. Reviviſco, poſtquam hæc ex te audio. Cùm enim ingenio mihi ſemper apparueris exquiſitiſſimo, ac ſciendi deſiderio flagrante, permagnum te fore aliquando literarum decus credidi. T. Vtinam id contingeret! cæterum ego literarii hactenus nihil inſpexi. St. Quid ergo tibi eſt verè literarium? T. Quod linguam non perpetuum relinquit ſiccam ac ſterilem, vel ſanè coaxantem, ſed divino Muſarum rore madidam, fæcundam, floridam; atque ad movendos, conciliandoſque homines valentem, alaſque dat pernices

De fois Audus.

Mundum hunc universum ingenio pervolandi: qualia jam sub Psittaco jucundè disco. St. Proh Apogæum & Perigæum! Psittacus te talem reddet, qualis esse concupiscis? T. Id spero, nec metuo, ne fallat. St. Ah longè erras. T. Id quidem Deus ne faxit. St. Obsecro te, quæ prima tua sub ipso institutio est. T. Excellens equidé, jam vocabula cōquiro ingenti numero, ac de vario ipsorum sensu, & accommodatione sum solicitus. St. Iámne satis? T. Nequaquam. Nam oportet mihi constare, sitne sub Ciceronis dictaturâ, an verò barbara & adventitia. St. Iámne satis? T. Nondum. Nam & formularum scientiâ nobis opus, ut quæ fuerint Romanis solennia verba, exacte sciam. St. Iámne satis. T. Vah, inde figuræ incipiunt, ac dicendi flosculi, posteà unius sententiæ varietas & copia. St. Ergo jam satis. T. Exercitia supersunt: ut Roscii personam suscipiam, aut Antonium insecter, aut quod difficilius, calvitium, Podagram, surditatem laudandam mihi sumam. St. Tandem satis. T. fortassis. St. De antiquis

num-

nummis, aut marmoribus nihil? T. Nondum. St. Nec criticarum disputationum, lectionum, notarum quidquam? T. Nimia festinatio. St. Saltem Patres conscripti, & Capitolium, & fasces, rostra, circi, atq; bestiarii, lanistæq; in ore frequentes? T. Quid sibi vult id examinis? St. Veniam mihi dabis Adolescens. Nam si id quæris, quod memini te olim quæsivisse, hîc equidem non invenis. T. Nempe sapientiæ arcem? St. Illam ipsam frustrâ hac viâ quæris, nec habes jam quàm antè tantillo mitius. T. Non? St. Non, Sed ut priùs ad veritatis perfectam investigationem nequaquam pervenisti, ita hic ad linguæ tuæ exactam formationem haudquaquam pertinges. T. Turbas me. St. Sanè Latinæ linguæ mille phrases, millenaq; vocabula obsoleta devorabis. Verum si sit in publicum prodeūdum, quàm minutulum erit eius, quo Cicero, Demosthenes, ac ejusmodi alij multi excelluerunt: judicij scilicet, cognitionis rerum, modiq; tractandi, pertrahēdi've homines. T. Ego non ero Orator? St. Eris, sed ut Præce-

De Studio Math.

ptor tuus, qui Cimicibus ac tineis declamitet. T. Non Regibus & Magnatibus? St. Malè per eam, si id vel ausit, vel possit Præceptor tuus. T. Quid vis me agere? St. Id tute videris, mihi integrum non est, te ut ab hac via abducam, quamvis optarem nobile hoc ingenium nobiliori studio admotum. T. Scilicet Mathematico? St. Tu quidem rides, sed si quando licebit Majestatem ejus procul tibi intueri, mutabis scio tam incōsideratum risum. T. Multa quidem vilia vestra sunt, & abjecta, qualia sunt Calendaria, Horologia, Arithmetica & agrorum dimensiones, qualia jam cum plebe habetis communia: verum circuli vestri, & infinitæ lineæ, ac intricatæ armillæ, deniq; ex minutis & multiformibus corporibus ligneis strues, trunculi ac girgilli tam sunt ridicula, quàm vos ipsi, qui novo bacillo aut specillo reperto, præ gaudio modō non morimini, aut nudi discurritis. St. Hæc condonanda tibi puto, O adolescens, qui ita procul abes ab hac Regia scientia, quàm cogitationes tuæ plus sunt terreæ,

quàm

quàm ætheriæ, Verùm ſi conſtaret tibi, quantum ea homini aperiret, & jucunditatis & profunditatis, & excellentiæ humanæ, & Sapientiæ Divinæ, & utilitatis in Bello, & commoditatis ad negotia humana, & laudabilis recreationis, & famæ inter homines, & detectionis rerum abſconditarum, & harmoniæ inter ſciétias omnes, ita accendereris illius amore, ut cohibitione citius, quàm incitatione opus ſis habiturus. T. Ausímne te domum comitari, & inſpicere inſtrumentorum tuorum chaos? St. Imò invito, & provoco. Nec enim tam inſanire mihi vidéris, qui non, ſi rationem audias, reſipiſcas. T. Ibo, atque lubens. St. Eamus. H. Nunquid & ego? St. Sequere. H. Exſpectate ſpectatores, jam enim redeo, nova vobis allaturus ex Martis & Mercurii Sphæra, tũ quid Sextilis, aut Retrogradatio vobis minitentur. Memor ero veſtri cum ad Lunam venero, ſed properandum eſt. Vivite.

De Politic.

SCENA IV.

Pilsius, Vanuthus, Turbo, Harleq.

P. IAm ante tibi dixi, *Sapientiæ pars est, leviter desipere*, & paulum extra rectam viam ire, ad vitandum violentum aliquem occursum. V. Sed quis modus? P. Vidésne ut Nautæ vela sinuent, & obliquent, & teneant nihilominus suum portum? imitare. V. Etiam in pietate? P. Pietas tibi interna & vera sit proposita Modestia ac virtus, in externis personam interdum sume; aut pone, pro re aut pro ævo. V. Me verò exemplorum diversitas turbat, ne eligam, quod rectum. Nâ in eodem casu, sive periculo reperio Fortitudinis, Prudentiæ, Calliditatis, Patientiæ simulationis, & dissimulationis usum felicem, utrum ego eligam, atque subito P. *Plato* recte ait. *Prudentia sola præit & ducit ad rectè faciendum.* V. Nihil dubito, sed prudentis est, interdum pati, interdum frangere, interdum dissimulare, interdum parêre. Sed electio huius

unde?

unde? P. A Prudentia. V. Ad idem recurrimus. P. Vanuthi, quis hic est? V. Non novi A. Admirabũdus est, quicquid ei miri acciderit. V. Aucupemur sermones eius hîc ex insidiis. T. Nescio, mehercle, ubi sim, aut quid agam, aut quid cogitem, ita animus mihi æstuat motibus, nec habeo hominem, qui reddat hoc mare tranquillum. Heu mihi! heu mihi! quã fuisset longe consultius, aut nescire cũcta & negligere, aut habuisse, qui primo ingressu viam monstrasset ad sublimitatem. Nunc postquam & annos, & juventutis florem, & laborem omnem turpiter perdidi, animus quidem nunc aliquid prospicit, & admissus sublimia artium procul intuetur, verum is multa vanitate, ineptiis & scholasticâ abiectione oneratus, nauseansq; nõ illam amplius, quàm ante, adfert promptitudinem. Itaq; oberro, & nunc me dedi huic Mathematico, qui tot Artis suæ commoda ad vitam humanam mihi obiter monstravit, vt obstupuerim. Ad castra Architecturam, Machinas, peregrinationes, & infinita vitę ornamẽta, ut miror,

posse id homines ignorare, aut eo, quo solent, turpi loco habere. Hoc instrumentũ, fausti initii nomine mihi dedit, quo tempus jucundè fallam. T. Anne is Turbo ille est? novæ semper artis novus discipulus? P. Equidem suspicor, quantum ex sermone intelligo. T. Mihi quidé decretum hac viâ pergere, quæ tantũ scientiarũ complectitur, poteritq; haud dubiè satiare mea desideria. V. Colloquemúrne aliquantulum cum hoc Protheo. P. Vt lubet. V. Adeamus. T. Heu mihi! in quos iterum homines incido? V. Salve Sternophile. P. Salve Atlas, Cæli fulcrum. H. Ecce per hæc pinnacidia prospicio vos esse Nebulones. V. Salve inquam industrie Adolescens. T. Bene sit vobis, dum per vos mihi liceat esse bene. H. Cave tibi, aut caput comminuam hoc Iacobi baculo. P. Ne lædas, nam optime volumus & hero tuo, & tibi, nã si is Turbo es, uti judico, dignus profectò es, qui quamprimũ eripiaris malis tuis, id genus tuũ promeretur, ingeniũ sibi vendicat, Respubl. postulat. T. Quibus malis? P. Cæcitate, surdi-

Historic. Stud.

surditate, stupore, linguæ, & totius corporis vitijs. H. An ego tibi dixi, Hero ne malediceres? V. Quiesce, res salva est. T. Quid ego dicã te tibi velle? P. Obsecro te, q̃ reliquis facilis es, permitte, vt aliquid tecũ colloquar. T. Audiamus. P. Nõne indignum est, te eius ætatis usq; adeò esse in Mundo peregrinũ, ut tã nescias, quid inter homines hodie agatur, quã quid retrò actis seculis? T. Quid eo opus? V. Vah jam dictũ est, ne tanta humanarum actionum varietate tu cæcus ambules, aut surdus, ad diversam de exteris relationem. T. Nullam adhuc video infelicitatẽ V. Nullam? Ecce quæcunq; unq̃ Deus fecit admiranda, aut hominib. cõcessit admirãda, Quæ ipsi homines à multis jã seculis inter se cogitârũt, cũ ad summã prudentiã simul atq; elegantiã præcepta tibi esse posset, ea ignoras omnia, & interim literulis absumis tẽpus, aut numeris, aut circulis, ac pspicillis, cælũ curiose pscrutari vis, & Terrã nescis, corpora superiora examinas, & hominem, divinũ illud & summũ Animal relinquis intactũ. T. Sine jã Mathematicis disciplinis

juvenilem ætatem imbuam, illa quæ dicis, Senio reservata sunt. P. Imò à primis annis circumspicere oportet, quid sis, & inter quos, quid homini concessum, quo ipse in tanta societate modo vivat, quæ pacem ac unionem turbent, quæ Regibus dignitatem, subditis obsequium, & tam duram patientiam servent, qui hominum labores, status, studia, mores, habitus, ritus, cōsuetudines, ut excelsus, tanquam ab alta speculâ intuearis globum terrenum omnem, & ad bonam rationem examines. V. Atqui illud tibi Mathematicorum nemo dabit; hominum genus usq; adeò rerū suarum dubium & incertum, ut Terrâne stet, an in aere circumvolitet, Planetæ nū in æthere, veluti pisces natent, an per orbium discursationem deferantur, ambigunt & hæsitent. Sed actiones humanas, & tam egregia historiarum monumenta intueri oportet, quibus homo eò excellentiæ pervenit, ut veluti totius orbis revolutionem, Monarchiarum transmutationem, Religionis cursum, Regnorum eversionem, & constitutiones animo com-

pre-

prehendat, tanto ac tàm manifesto usu, ut nequaquam eum tibi exprimere necesse sit. T. Heu mihi! H. An hunc percutiam? T. Noli P. Vos literugeruli, dum domi delitescitis, aut Alphabetum, aut regulas aliquas, aut lineolas quasdam varie descriptas pro subditis habetis, ut Reges triumphatis, & nescio quâ majestate virgam, aut regulam, ac Circinũ, aut libellum manu, ceu sceptrum tractatis, cum prodeundum in lucem, ac quid dignum tantis spiritibus pariendum erit, mures prodeunt, nec ad opificum opera, & structuras accedere potestis. Nam quod Archimẽdis artes forte superesse suspicaris, longe erras. T. Non illi modi supersunt, quibus si detur ubi stemus, terra moveatur? P. Ha, ha, he! T. Nec ut homo unus integro exercitui resistat? P. Ha, ha, he. T. Atqui illud in promissis habeo. V. Noli credere. Nam hæ sunt artis commẽdationes à veterũ sublimitate desumptæ, qualia si hodie exigas, nuspiam reperies. T. Deum immortalem! vjvítne homo me infelicior? vjriles

præterit cum non turbor, non mutor, non nauseam prioris vitæ concipio, heu mihi! qui in literatos incidi, homines multiformes, multi lingues. Ve mihi! P. Salva res est. Nam ad eam, quam tibi descripsimus, sublimitatem tantâ literarum sarcinâ opus non est. Ingenio ac judicio eò evolabis, tu verò libès humi repis, & scholasticis nugis animum terræ affigis: Enitere magnanime Adolescens, & hæc Magistrorum deliria contemne, ne dum tibi ad altissima quæq; ascẽdisse videris, dignus dicaris, qui pueros doceas. Potius ad ea, quibus Reges & Magnates occupantur, te para: scilicet, quæ ad regendos ornandosque homines conferunt, non ad scholasticorũ auditoria. V. Deniq; utaris Literatis non ut principibus tuis, sed veluti Mechanicis, quorum permagnus est in Republ. usus. Tu præemineas, reliqua illa turba te circumstet, & quicquid habet Artis communicet. T Heu mihi! heu mihi! P. Meditare hæc, nos tempus aliò avocat. V. Precor tibi animum magnum, haud illũ scholasticum. P. Vale generose Adolescens,

ſcens, & excellentioris concupiſcentiæ ignicules, illis literariis rivulis, ne extingue. V. Valete feliciſſimè. H. Pergite, ſatis eſt, quod non vapulatis.

SCENA V.

Turbo, Harleq. Horatius, Famulus.

T. ILli abierunt. Ego hic ſto, Magiſtellorum luſus, mei tortor, curioſitatis exemplum. Vah! hæc vota mea ſunt? hæc de literis expectatio? hæc literarũ ſunt elogia? Ego ille primus ero, ille qui hominum errores è ſublimi deſpiciat, & commiſeretur? H. Here, jam ante edico tibi, ſi cũ quoquam ultrà fueris collocutus, occidam utrumq;. Nam novam à ſingulis concipis phantaſiam, unde ſi ita pergas, quanto me poſt te relinques intervallo? T. Comprime os. H. Et tu lætæ mentis ſis. Nam quamcunq; inieris vitæ rationẽ, me habebis ſocium, ſive ad Epiſcopatũ voceris, ſive in balneum. T. Miſerias! Eheu! quã nimis bene dixerunt poſtremi hi duo

nam

nam ad ſolitariam vitam artes illæ forte faciant, ad Civilem alias oportet eſſe, rerum ſcilicet cognitionem & de reb judicium, qualia ſi dare mihi non poſſunt Magiſtri noſtri, pereant. H. Sapis, & ego interimam. T. Tu tace: ſed ubi exordiar vitam meam politicam? Ita faciam. Non placet. Heu mihi! jam nec mihi amplius, nec Præceptoribus fido. Heu! quis phaleratus ille, & immane ſpirans. H. Ergo collectæ ſunt res meæ, & conſarcinatæ. F. Etiam Domine. H. Vide nihil impediat, ne cras primâ luce abire non poſſim. F. Curabo. H. Equidem hoc quatriduo, quo urbem hanc ſum perluſtratus, nõ videor mihi tempus perdidiſſe; ſitus commodus, vivitur parvo, leges bonæ ſunt, conſuetudines probæ, ingenia mitia, de armis credo minus neceſſe habent, ut cogitent: Famule quis ibi aſtat? F. Scholares ſunt, ſi bene proſpicio: Nam propendent ab ipſis calamaria. H. Ha, ha, he! pediculoſos homines, oportebat ipſos odorâſſe. Quã metuo, ne verſiculos aliquis mihi exhibeat. F. Effugere non poſſumus,

mus, quin prætereamus eos. H. Sine sit. Har. Heus tu, quis es, plumate, qui nos præteris tecto capite, me & herum meũ? F. Scelestum hominem! Har. Etiam maledicis? Hem tibi. H. Proh facinus! jam quidem moriere. Har. Id quidem facito, & persolves hac die centum florenos? T. Obsecro te Domine, parce huic, nam sanæ mentis non est. H. Quid ais calamarium. T. Verè hic homo fatuus est. H. Quî ergo stulte cum stulto tuo non hic procul facessis ilicò? Præscieb: m ominosum esse, si quis occurrat Scholastico. T. Quisquis es homo, temperabis tibi ab his sermonibus, si benè cognoveris. H. Vah Hominis Sceleton, qui per papyrum peregrinatur, in atramento navigat, pennis digladiatur, vocabulis servit. T. Si civile id est, homini benè nato, & liberaliter hactenus habito maledicere, satis modestus es. H. Paradoxum, hominem ad calamos cõdemnatum posse benè natum esse. Har. Here, ego conclamabo, & Matrem, & Patrem tuum, & Sorores & Præceptores & Ministros, & subditos, & commilitones

tuos

De Peregrin.

tuos omnes, hunc ut in frusta discerpant, qui negat te benè natum. H. Fortassis bene, sed ad bonum nūquam, si iis adhæreas ornamentis. T. Cum hæc deposuero, non deerunt teretes hastæ, clypeiq; rotundi. H. Dic Sodes, an bono loco natus es? T. Atq; optimo. H. Et Pater tibi superest? T. Ac in supremâ dignitate. H. Et literis hoc ætatis torqueris? T. Imò summè afficior. H. Nec habes hominem, qui te hac infamiâ liberet? T. *Quod quisq; nescit, odit.* H. Equidem glorior, ad eam cui natus sum vitam, nimium literarum mihi haud contigisse, quæ animum aut effæminant, aut inflant, aut reddunt curiosum, aut scholasticum. Mihi hic Mundus schola est, variæ Terræ Præceptores, humanæ actiones libri, varia ingenia characteres, Aula palæstra, ipse intra hæc examen, ac lydius lapis, q̃ omnia adeò jejune libellis depingũtur, repræsentãturq; ut insomnia meritò dicas, umbras & spectra, præ vivis illis Martis, Mercurii, Veneris, Iovis experimentis. T. Quæ hæc sunt? H. Hò Scholastice! Castra, Mercimonia, Amores,

res, Aulæ, variaq; hominis peregrinantis objecta, quibus ille aut literas accommodat, aut judicium exacuit, aut Artes Mathematicas admovet, aut Politicorum decreta examinat, omninoq; hominem, admirabile illud lubricum, ac versatile animal, sibi tractandum sumit, nunc Majestate elatum, nunc ingenio armatum, nunc servitute depressum, nunc ignorantia sepultum. T. Quid ais te illiteratum? H. Admodum mehercle, ac Deo gratia esto, qui post leviter degustatas literas, noluit me inter eas computrescere. T. Et unde tibi tanta? H. Illud est, quod vobis deest, qui dũ inter chartas vestras & papyraceas pugnas, aulas, seditiones, Respublicas volutamini, facilimè vestros fictitios homines, & debellatis & exagitatis, & compescitis, & regitis. Verùm ad praxin producti tantum sapitis, quantum statuæ, & obmutescitis, cùm se simulacra movẽt. Har. Here, hic homo malus non est. T. Tace sis. H. Tum si quid cũ exteris intercedit, negotii, q̃ facile nos nostræ scientiæ pudet, q̃ est insulsum in experientissimorũ hominũ

con-

consessu audire perstrepentem Grammaticum, aut Scholasticum anserem; Omnia scire volunt, & omnia nesciunt. T, Tu literis iniquus eris, quibus ab omni ævo faverunt optimi. H. O egregias literas, si habeamus egregiè literatos! Nunc dum parvis occupati, nesciunt se erroribus impendere miserrimam mentem: in illustré ambitum Magnatum, in solicitas Principum curas ridiculi declamatores inquirunt, quasi nihil intersit inter sordidam & magnificam vanitatem, nisi quod illa peccandi impotentiam ostendit. T. Nihil inter literatos distinguis? H. ægrè. Har. Et Monachos uno nos ordine habebimus omnes. T. Nec Politicos excipis? H. Illos chartacearum urbium constructores. T. Nec Historicos? H. Illos externorum gestuum, aut fortuitorum casuum solicitos descriptores. T. Quem tandem approbabis? Har. Qui longa potest dispendia ferre viarum. H. Illum qui animum suum non otiosis nugarũ & opinionum securis diverticulis saginat, & per voluptatem humanas res intuetur, sed

eun-

eundem cum ingenti conversionum humanarum mole committit, manus suas porrigit, & vitam omnem humano servitio devovet. T. Talem ego expeto vitam. H. Talem illi Tusculani invisam juventuti reddũt, & venenatis verbis adeo depingunt barbaram ac sordidam, ut quicquid ultra ferulam est, aut scholastica scamna, plebeium proclamitent, ac terreum. Hic semper risit, alter semper flevit, isténe ridendus, flendus ille magis? tertius in dolio habitavit, homines Ignava opera, philosopha sententia. Har. Ne crede huic homini. Qui enim benè dicat ocreatus, togatus, pennatus, qui nec meditatus est hæc diu nec legit è charta? H. Ha, ha, he! tu prodes omne mysteriũ pædagogismi. T. Malè sit ei, quisquis te primus à literis avocavit. H. Malè sit omnibus, qui te porrò literarum compedibus detinebunt. T. Benè literis, si te iterum exorent propitiũ. H. Benè Reipubl. si ei temet dedes, relicta hâc vitâ pedicularia. T. Nescio, an benè velis mihi. H. Nescio an intelligas, quàm commiserer sortem tuam, quem judi-

judico in bilance positum, saltem verbulis exmisera illa parte detineri. T. Vbi habitas? H. Hic quidem peregrinus sum. T. Sed posthac nobiscum eris? H. Imò cras abeo. T. Sed hospitium ubi est? H Ad falconē deauratū. T. O felix homo quisquis es. Mihi nec aurum deest, nec dignitatis spes, nec servientium numerus, sed bonum consilium. H. Quid suspiras, in manu tua Libertas est, apprehende. T. Hei mihi! Har. Nunc tempus est, vos cum dividam, dum illud audio; heu mihi. T. Heu, heu mihi! H. Hic flebit opinior homo, ego ad res meas abeo. Har. Sapis, jam tibi necē meditabar. Quid fiet, ô cives, si Herus meus quotidie nova audiat, & nova credat, quàm metuo, ne se tandem credat inopem, aut sumptibus imparem, meque dimittat, Mihi ars una est Ineptia, quà invictus sum, & eludo disputatores summos si quid dicūt, nego: si quid probāt, nō credo: si permulcent, rideo: si minantur, aufugio: quoquo me versent, cubus sum, semp subsisto. Ego is sum, quem si laxes erepit, si premas erumpit. Sed atat! se Herus meus subduxit,

IN-

INTERSCENIVM I.
DISPVTATIO.

Hilarius. Serra. Tacitus. Publius. Graculus. Duo Auditores.

H. QVæ hæc obſecro intemperies eſt, totũ diẽ altercationibus abſumere iiſq; præmeditatis. Affirmare, negare, probare, ſolvere, diſtinguere, theſizare, Problemizare, corollizare, ſyllogizare, Elenchizare, Narrare, Barbarare, Cornutare. Vah! aurib. meis malè eſt pro tot clamores. Domine opponens. Domine Reſpondens. Digniſſime Domine Præſes. Oppono. Reſpondeo. Ego inſto. Vlterius urgeo, quatio, cõcutio, diſſipo in fumum, in ſtipulas, in anitergia metamorphizo. Ad Maiorem, ad minorem. Concluſio falſa eſt, proba Antecedens, reduc ſyllogiſmum, eſt fallacia, Equidem omnes intus peccant ſecũdum plures interrogationes atq; reſpõſiones. O beatos artifices, quorũ nec limæ, nec ferræ, nec mallei, nec

tere-

terebræ tantum ſtridoris, gridoris, ſtrepitus, crepituſq; faciunt, quantum illi intus, ſed quid ego vobis refero? Nonne vos hic audiviſtis? nonne malam illis crucem eſtis imprecati? Fiat, & hæc vota veſtra rata habeat, qui abſque omni litigio eſt. Ecce vero iterum qui elapſus eſt. hem jamne triumphas in libero aere, jam Pythagoricum concentum exaudis? Ser. Quid tu vis tibi? H. condonandum eſt aliquid, nondum audit, niſi prius totargumenta ejiciat heus tu purga aures. Ser. Quid clamas ſurcifer? H. Erue ſyllogiſmos, ut verba mea intromittere poſſis. Ser. Tu pol ſanus non es. H. Sic decet, ſi quis hâc egreditur. S. Quin tu intro redis, ut ingenium excolas? H. Siquidem obſurdeſcere, contabeſcere velim. S. Non tu veritatem in profundo ſepultam effodere vis? H. Vobis ſociis nequaquam. S. Quid ais nonne facilius, citius, felicius? H. Vah ſi jam aliquâ ſui parte emergeret, quæ altercatio? quis conflictus circa eam foret? ego certe comminuerer citius, quàm prædæ fierem particeps. S. πεινήσεις

μάλα

Græca locutio. Böß Teutsch.

μάλα μακρὸν ἐς ἄυριον ἔσθιε, νῆφε. H. Boß dich mit deinem beseflen/das dich der Dollinger gebick/vnd an den dollman schnier. oder Barle/das ichs verlunsche. S. Quid tu ais? H. Quid tibi meâ linguâ opus est, cum ego tuâ libenter caream: S. Ego Græcè locutus sum, quod non intelligere, pudor est. H. At ego Lunaticè: quod paucos scire bonum est. S. Non tu Græcè intelligis? H. Du Voppart/ Ich will dich bald auff den Kabas goffen/ alch dich vber den Braithart. S. νηφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν. H. Der quien dotsch würt die schwertz im Schresenboß Narung thon haben/ das er so ein Schmalkachel ist. S. Εἴγε πάθοι τάκ' ἔρεξε δίκη δ' ἰθεῖα γένοιτο. H. Wisul Nimb hin den doul / vnnd kimmer die wendrich vnd Hanß von Geller. vnd stoß in dem Rimpflin / dan alch dich hinder das funckharthol. Menckhels daselbst/vnd schöcher Schürbrand darzu/ das wird dir grim sein. S. Quid hoc est? H. Sic vos disputatis. Neuter alterum intelligit. Das machen die Loe bfaffot: damit solt man euch in den Stron-

bart hinauß goffen. S. Dic quid velis? H. Ein Sefel auff dein giel. S. Abeo. si nihil habes nisi nugas. H. Mane, jam tecũ loquar, ut intelligas, etsi vos ineptuli rarò id facitis. Cum inter rusticos estis, vix tria vernacula absq; exotico benè jungitis, sin inter eruditos sitis, nec vestrã, nec alienam potestis. Si quis vobis, bona dies, profectò, scilicet, dictũ puta, heus tu, & alia paucissima, auferat, nollem vobiscum cõmutare opes. S. Etiam maledicis? H. Imò admirare modestiã meã, qui talia nõ in vulgus spargo, quę conciliare tibi possint, aut famẽ, aut crucem, aut quẽ tantoperè subterfugis, laborem. S. Quam mihi hic cõmodè adventant, ubi te accusem. H. Quã vellem Aristoteles hic præsens, aut si mavis illa sepulta veritas foret, ubi accusor. T. Hic homo veritatem appellat: malu esse non potest. S. Exoptatus ades, ut intẽperantem linguã hic opprimas. T. Herculeum mihi laborem dicis. H. Ha, ha he! si quidẽ à te exordiatur. S. A me? jam hunc audi: mi Tacite, vidistine unquam hominem mentis compotẽ, qui optima

dispu-

De inepto gr̃e Disputandi, & 40.

disputationes malas diceret, & elegantissimas linguas ineptas crederet? T. Nunquã quod sciam. H. ha ha he! S. hic talis est. Ergo. H. Iam quidem abeo, sat auribus hodiè abusus sum. T. potes hîc esse aliquantulum? H. Possum, dum non disputes. T. Noli metuere. Nam id genus hominum syllogisticũ tam odi, quam latrantes canes. H. aut rudentes asinos. S. Quid ego hoc esse dicam, in medio literarũ meditullio, veritatis lydio lapide tales reperiri? T. Vide, ne erres. Est genus aliquod disputatorium sed Socraticum, vel Platonicum, quod conversationi quotidianæ aptum, jucundum illud, & quod res quasvis obvias non excludit, hoc amo, hoc appeto: dum scholasticũ alterum terminosum, & distinctoriũ scholis maneat. S At nos hîc in schola sumus. T. Verum est, sed huius gratiâ larvã vocabulis detrahamus, ut q̃d agamus, & ille sciat: q̃d n. vocabulis ex cõposito receptis aliis insultare opus, cũ idẽ nobis possint facere opifices suis? Inter ea quicquid dicitur, extare oportet, vel sanè ita exprimi, ut q̃d velimus intelligatur.

S. Ars ignoranti odiosa. H. Ah tu nescis quod ego hodie pistrinũ pertulerim. T. Fortè disputationi interfuisti. H. Apollo es. S. Imò Momus. H. Accipe dextram meam amoris signum. T. O felices literatos, sais si sese terminis contineant! sed quò hic abit? H. It emptum pulverem, quo sclopeta sua denuò displodat. T. Nescio an auspicatò huc venerim. Nam irritare hoc genus hominum est inimicos sibi perpetuos & capitales facere. H. Confide, centum millia ictuum literariorum non possunt conficere unum hominem. Cum omnia faciunt, distinctiuncula petunt. T. Mihi quidem mirum est, verè literatos posse cum his ranis cohabitare, quæ præter vocabulorum aliquem sonum nihil habent. H. Nónne & muscæ tam aerem occupant, quàm aves? T. Atqui id nesciunt, quod scire oportebat, & quo nomine literati sunt; & plurimũ se fecisse jactãt, si quid, quòd muliercularis certũ est, in dubium vocare possint. H. Ego, ex quo literatus factus sum nihil scio acuratiùs, pauca utilia reperiõ

plera

pleraq; non credo, deniq; usq; adeò otiosa
judico, quæ percõmodè in sutrina addi-
scerentur. Sed eheu! Latinus satrapa ali-
quis, vocabularius Princeps. T. Tace sis,
si fulmen metuis. H. vel tenebras po-
tiùs. T. tace obsecro, nam ego Sarace-
num offensum malo. Pub. Masculè tu
quidem rem egisti tuam: sed Deo gratia
esto, qui solus victorias distribuit, & ma-
gna fecit. Ego si quid præstiti tibi boni,
lubens feci, & studiosorum profectibus
id debeo. Gr. quod sto, & vivo id à te est
inclite vir. qui invictus ipse, nec alios suc-
cumbere sinis, qui se tibi concredunt. P.
Hunc diem puto juventuti fore notabilẽ,
quo tot dubia satis, vt puto, enucleata sunt.
S. Agimus tuæ Excell. immortales gra-
tias. P. Vestrum est, quicquid scio, vo-
bis didici, vos libenter accipite, & diligen-
tiam indoli addite. Gr. Totus tremo
etiamnum cùm tot adversariorum, & nu-
merosissimi auditorii reminiscor. P per
ardua itur, fili, ad gloriosa pulpita. Non
ego, non alius olim dormitavimus. Sed
ubi ille irrisor est, de quo mihi dixisti, Is-

maelita? S. Ad latus Excellentis dominationis tuæ, biga nugatorum est. P. Quid vos nebulones, furciferi, æternisq; flāmis exurēdi rebelles hîc statis, atq; mussitatis? T. Satis literaria salutatio, Domine, quisquis es. P. Hem quisquis es tanti laboris, & in juventutem curæ homo, alibi honorabilis, tibi ignotus sum? H. Crimen kirielesitatis commissum est, perimus. P. Deus, qui laboribus meis in multis adolescentib. probis benedixit, faciat ut in vobis vindicer, & vos perditos intuear, scelesti Iudæ. T. Quid vero commisimus P. Iam condemnati estis, dum quæritis. Nōne ego sufficio vobis, quin vos accusem. T. Ha ha he! H. Ha ha he! P. Fulmen non feris? terra nō dehiscis, filii non irruitis? Collegæ non proscribitis? T. Euge scholasticam mansuetudinem! S. Aggredimur? H. Siquidem perire vultis. T. Nonne priùs disputabimus? P. Quid latro, perjure, parricida, Sacrilege, ámne disputabis, qui disputationes nostras pias paulò ante Cainiticè, Nimbroticè, Absolonitice, Sathanice resisti? T. Siquidem

ita

ita disputâstis, perbellam fuisse conjicio disputatiunculam. P. ô os impurum, venenata labia, felleam linguam! heus tu Gracule, utilia huic Sodomitico, Gomorrhæico rũpantur, lege quib. verbis exorsus sis laudabile tentamen tuum. G. libenter.

Quam ego hic aciem, quos mucrones, gladios, fundas, intueor? quos truces vultus, scintillantes oculos adversum me video? ô Deus, ego solus, atq; illis omnibus iam iam obiiciendus? T. Tragicum exordium. Bethulia obsessa est. H. fugiamus. *Ego verò tuo iussu huc veni luminum Pater, & in hoc campo tuo me tibi sisto, quem sanctissimæ rei literariæ facias strenuum ac perutilẽ militem.* T. Mẽtitur his, nec enim Deus jussit, nec, quas tractat literas sanctæ sunt H. Vellem, missionẽ peteret. *Age pugnabo Exercituum Deus: at cur contra tam multos? nisi me vis hodiè miraculum facere, & bonam causam sub meis armis contra ingentes assultus triumphare.* T. Ingens quidẽ miraculũ, ubi clausula est, acquiesco. H. ô vtinã jã acquiesceret. *En etiam auxilium submittis, auxilium ingens, ineffabile, rei*

literaria Phænicem, Publium verè verè Microcosmum. Cælestis auræ, terræ sigillatæ filium. P. Parce titulis, ne quid margaritarum porcis objicias. *Quem dum habeo, omnia habeo, quid metuo? quid loquor? quotquot estis! adeste, congrediamur*, T. Vah quàm metuo jam sanguinis imbrem! cælum tenebrescit. H. Væ vobis immortales Dii, si hic homo ascendat. P. Quid jam blaterones desideratis in hoc devoto, pio, & merè precatorio exordio? T. Omnia scilicet una litura deleatur. P. Hic homo ter Opt. Max. ridet. T. Negatur consequentia. Deum verò ego vos ridere graviter, aut etiam irritare judico, cùm ad futilia vestra illum vocatis, & in re nihili histrioniã sacram agitis. P. Non ovum ovo tam simile est, quàm tu incarcerando. T. Centum ego carceres malo, quam crania illa, ubi cerebra vestra tã angustè habitant. P. Age veritas hunc hominem prius prosternat, & pedibus conculcet, antequam Sathanæ tradatur. Theses tuas hic mihi porrige, de quibus ipsa calumnia dijudicet, sintne ab insano

cere-

cerebro profectæ? H. Defessus sum stando: hæc sedens commodiùs audio. vah, barbam, togam, librum! cur nihil intus sapidi? P. Audi prostibulum.

Problematici gorgonici innodati
Septenarij bini,
Beneplacito Numinis,
Voluntate Sapientum Ordinis,
applausu Apollinis,
subscuto & hasta
Magni Publij,
Eruditionis Oceani.

Pub. Hæc quidem omitti potuissent, sed relinquendum est aliquid adolescentum gratitudini. T. Non hæc tantùm, sed & Numinis injuria P. tacesis.

Gladiatoribus literariis,
In publica Athenarum nostrarum arena,
ad diem, horasq; solitas,
extricandi expositi
Ab autore, Scriptore, defensore.
Graculo Poco savio
Mattonico
Annout supra.

Tac. Iam quidem subodoror, quas ille merces advehat. P. peream si ipsa impudentia ausit calumniari T. Siquidem à sapientium ordine approbata sunt. P. Non approbata saltem, sed cum admiratione lecta: adolescentulum his annis ad tot arcana rerum admissum. T. Audiamus ergo, quantum vis cum nauseâ. P. Audi & crepa; audi & suspéde te. Tu lege mihi, cui bilis mota lectio molesta est. G. obsequor.

Theol.

1. Nodus ecce primus. *An clericis quicquam negare liceat? Absit.*

Iurid.

2. *Iam quam spinosum. Lazarus resuscitatus iuréne ad bona redierit? nobis exclusus esto.*

Med.

3. *Quis verò dicat Medicos homicidas? prohibemus.*

Phys.

4. *Nescis tu ignem frigere; Solem calere? Nos scimus.*

Ethic.

5. *Intricatum, Simiam dicere affabilem. Sed fiat.*

Poetic.

Poetic.

6. Vulgus negat Poetis furorem necessarium, malè.

Dialect.

7. Romæ Pons Asininus invisus est. ille nobis.

Rhetor.

8. Mutum quis Rhetorem dicat? potest tamen dici.

Astron.

9. Stellæ incolas suos habent. credite.

Geom.

10. Vix liquet, corporisne, an figuræ tractatio difficilior? Prioris.

Arithm.

11. Denarium ne quis neget numerorum principem. cave sit.

Music.

12. Sol an Re fortior nota, dubitare lubet, cum scire liceat.

Grammat.

13. Hetroclita & anomala in Grammaticali prælio succubuisse aiunt: & credibile est.

24. *Nonne Vtopia Rerumpub. felicissima? abi, si negas.*

Est & Carmen in honorem meum annexum, quod audire non injucundum erit. T. Oro te per Poetarum furorem, & stellarum incolas, & Simii Affabilitatem, & ignis frigus, ac Lazari opes, ne animā mihi porrò eripere pergas. P. Quid precibus opus est? jam dudum indignus es, qui divinam venam exaudias. Sed ad problemata responde. nónne ex subtilibus subtilissima, intricatis intricatissima sunt, & quæ Encyclopædiā omninò resipiunt? T. Dic mihi, præclare vir, seriò hæc disputatis, an per lusum? P. Responde Adolescens, ne hic glorietur, cum Professore se disputasse. G. Seriò, inquam, atque juvante Deo, Domino Præsideque Zabarella, Conimbricensiq; collegio feliciter. T. Si seriò, ac ut ais, feliciter, an etiam cum usu aliquo? G. Fac syllogismum. P. Sapis. T. Non disputo, nec disputabo vobiscum, si sapio, hoc saltem quæro, an reverà vos talia delectant? vel an conterendi tan-

di tantum temporis, ſumptuumq; causâ tractetis? an Reipubl. interſit talia ſcire? an Sapientia his ineptiis conſtet? an meliores vos ſutoribus, Sartoribuſq; hâc prægrandi ſcientiâ arbitremini? P. Vides quàm ineptè quæſita commiſceant, qui Methodi Logicæ ſunt ignari: fruſtrà ſumus, abeamus. T. Vnicũ adhuc, Iuro Deũ, antequam vos novi, magnificè de vobis me ſenſiſſe, quod puto alijs etiam contingit, ac inſuper credidiſſe, tanta eſſe, tamq; admiranda, quæ inter vos, tanto ſupercilio, pompâ atque clamorib. perageretis, ut niſi Atlantũ inſtar, ſuffulciretis cælum, illud jam dudum in nos omnes corruiſſet. P. Sceleſta lingua! Ex una diſputatione, nec eâ intellecta, omnes dijudicas. T. Crede mihi, tantum mihi hæc una fecit terrorem, ut de reliquis omnibus minùs æquè ſentiam. P. Inſane, quid de libris illis dices, quos poſſidemus innumero numero? annè ineptiarum plenos eos dices, qui ſapientiſſimè ſcripti ſunt? T. ô avaros magni Theſauri poſſeſſores, optimorum ſcriptorum tyrannos, ſed quàm benè ſit,

quod

Libri Scol. frivoli.

quod obtrectatores vestros plerumq; in conclavibus possidetis. P. Quid ais? T. habere vos libros, qui si vulgo legantur, vobis parituri sint excidium. P. Benè habet, in carcere sunt, ubi nec tibi, nec aliis invisere eos libet. T. At nobis bibliothecæ non desunt, quantũvis vestras tineis & vespertilionibus committatis. P. Futiles, vani, frivoli, pantagruel, Amadæus. T. Imò auctores liberi, veri, probi, quos nominare libet, si licet. P. fac, ut plus habeã, quod in te accusem. T. Dum audiar.

De consarcinando catalogo illectorum auctorum,

De adoranda virga: Cardinalis Lateranensis.

De salario ociosi laboris, & exaggerandis peccatis scholasticorum Bartol. Bolla. Bergamascus.

Cavea doctæ ignorãtiæ, cum suggestu Asini.

Hercules Academicus, seu Rectoratus Herculeus prodigiis plenus.

Abbreviatio scientiarum, iuncto tractatu de dispendio compendiorum.

Alchymia titulorum, Baccalaurei Magistrandi,

Qua-

Quæstiones & responsiones promovendorum cognatorum in ordines, ut ad paucas horas in examine stare possint. Autore Parteio hilff mir auch.

Sacramentum silentii mercaturæ bonarũ artium.

Solutio dubii, an Antichristus regnarit in Academiis.

Molochus renovatus sive clibanus ingeniorum.

Nova delineatio possibilitatis ædificii Nimbrodici.

Aurum è stercore Sterquilinii Antiquarii: opus purgatum septies.

Antipericatametanaparbeugedamphirribationes.

AEquilibrium sumptuum, & literarum harumq; præpondio.

Tyrannis Latinæ linguæ, & reliquarum rebellio.

Pædagogus vapulans, quod se Philosophum dixerat.

Clavis rerum non clausarum, sub altera lima crescens.

De utilitate ex dedicationibus capienda.

Mur-

Murmuratio Laicorum, contra otium sumptuosorum literugerulorum, cum postulatione privilegiationis scholasticæ. Georgi speculatoris.

Plures sunt elegantiorũ librorũ, atq; futuri plures, ubi creverint delicta vestra, ne quid putetis, nos sub rerũ vestrarũ admiratione surdescere. P. Obstupesco malitiã tuam. O tempora! ô literas! T. Macte bonæ literæ! quæ exsurgitis, & vindicias vestris custodiis paratis. P. Eo ad consulem, ut in hæreticum hunc animadvertat. T. bona verba, literaria lis est, literis certate, & alphabeta aliquot in me projicite. P. Hoc nempè est eruditum seculum, quòd licentiose quivis loquitur, vade & suspende te, sequimini T. Abi, & disputa, mihi quidem perpetuò jucundum erit, vos non sapere amplius, quam ex plebe quemlibet. H. Illud unum mirum est, verè literarios tales non ad sutrinam pellere. T. Sic est, ut quisq; sedem suam impetravit, ita premit eam, nec nisi mortuus cedit. H. video tamen renascentes cordatiores, & qui ine-

ineptiis his plurimum derogent. T. video & gaudeo. ſed eamus, neſcio enim, quàm minus tutum ſit, vera loqui.

ACTVS SECVNDI

SCENA I.

Harleq. Gerſon. Mallier. Galli

SI triginta ſex annis pēdeas de ſuprema cruce, non lues flagitium tuum, Nebulo, qui me in has terras deduxiſti, ubi Diabolos habitare credo, non homines. Nam illorum ne unū quidem intelligo, omnes perſtrepūt, & glocitant, ut in ſingula momenta circumſpiciam ad ictus. Si quid peto, ſi quid familiariter tento, nihil eſt, aut rident, aut circumſtant: jam fortè cōprehendendum. Kalaſti piripateta, lomelaleta opidi, Kariſi luridi, VVirivvidiſi, Kardivipopſidi, golibitodiſi, quid hoc eſt? poſſem ita, ſi vellem; ſed nec ſic me ipſum intelligo, loquantur Germanicè nebulones, ſi quid rerum honeſtarum agitant,

aut

Gallica g fabul.

aut ego. Sed illorum heu plures sunt, jam cum tentarẽ fugam, veni ad portam, quæsivi placidissime: Quæ via tendit in Patriã meam? ita subitò conclamaverunt scelestissimi, ut jam prævideré mortem, Alter dixit Kolallefus, alter fullefus, alius Kedikefus; ego iratus dixi, Narrefus, Schelmefus, Diebefus, & ingenti murmure ad Herum meũ redii. Nunc ab ipso petã, ut rheda sua ac sex caballis domum me reducat, adjungatq; hominé, qui scelestũ illud Kolallefus & fullefus possit, restituatq; me iis qui, ut intelligantur, loquuntur. Nam si quid volo, per signa mihi dicendum est, & cum admodũ esurio, ineptissimi homines judicant mihi dentes dolere. O si Herus meus senior sciret, me atq; filiũ ipsius ita esse proditũ, fleret scio, & quadrigis albis me revocaret domum. Sed ecce, duo meschants, poltrons, larrons, vilains, grands fols. G. Voilà dont ie n'auoy jamais oui parler: Et comment a-elle nom? M. Dame Folie, laquelle n'est seulement soeur, mais corps & ame d'Amour. G. Tu veux inferer par là que tous amoureux sont fols,

non

non pas? M. Ie ne dis pas tous, mais bien la plus grand' partie. G. voilà le serviteur de ce Monsieur Allemand. M. Laisse moy faire: Ah poltron, c'est à ceste heure que ie me vengeray de l'injure que tu fais à mõ maistre. H. Holla, quid tu vis tibi Poltron, Schelm, Hundsf.? M. Ah traistec, tu n'eschapperas de mes maius. H. Curraschi, curraschi, ego te excipiam modo, quod es dignus, hem tibi. M. Ho bon ami. H. quid bounimi Nebulo? Vapula. M. Eynit aschlaga. H. ho vapula Germanicè mæchant mutton. M. Mon Maistre. H. Nihil agis, non exorabilis sum. M. Hela, mon dieu. H. Hos pugnos ede. M. je crie merci. H. Etiam hos, hem! sic debitur, si quis posthac Germanum riserit. Sed quis Dæmon hunc Nebulonem mihi subduxit, jam discerpendus mihi erat. Hé infelicitatem, qui nõdum media parte iram meam effudi, non exoneravi fellis mensuram: Sed heus, vobis edico Galli-gallinacii, quisquis primis in manus meas inciderit, capite truncabitur.

SCE-

SCENA II.

Turbo. Horatius. Pollux Harleq.

T. EVge noster Harlequin, quid furit? holla Harlequin, Monsieur Harlequin redi ad te. Har. Hic equidem locus est acceptæ ac datæ injuriæ. Hor. Quis te offendit? Har. Vellem perires, cuius seductione, hic sumus, ubi nobis lingua inutilis est, & manibus oportet loqui. Hor. Sis propitius mihi Signor, nam faxo brevi utaris lingua, uti hactenus. Har Etiam hodie? Hor. Fortassis. T. Vah neglige illum. Nam haud faciliùs placabis, quàm si sinas animum defervescere. Ho. Sed de his terris quid tibi videtur? T. Optimè equidem consuluisti: quî enim faciliùs hanc superbam opinionem ejecissem, nemi nem nisi domi suæ sapere? Hor. Nõne tot ingeniorum diversitas ingenium tuum fingit & refingit? T. Fateor omninò, sed rusticitatis me pudet meæ, qui ad placidos illorum & amabiles mores, corpus adfero tam inflexibile. Hor. Id qui-

Qmõ discenda ceremonia.

quidem Pollux hic optimè flectet, faciet-
que ductile magis, quàm est cera. T. Ego
me tibi in disciplinam dedo, flecte, incur-
va, complica, extende, uti libuerit. P. Ars
nostra minùs periculosa erit. T. Nónne
sic salutabo Amicum? P. Penè. T. Et
Nobiliorem ita? P. Tenes: sed Regem
quomodo salutabis? T. Id ex te sciam P.
Ita porrò Puellã honestam? T. Teniabo.
P. Nimiũ premis. T. Amor moderabitur.
H. Dii Deæq; omnes, properate in auxiliũ
nobis, nam hi neque poti sunt, neq; loti,
neq; pasti, & ebrii tamen sunt: credo ab
aere. Ecce immanem stultitiam! quid pe-
dibus ac manibus gesticulantur; ô Turbo,
si illud voluisti, conduxisses domi simiam,
& didicisses mille circulationum formas.
Ædepol si hac ad virtutem viâ itur, iter
est ridiculum P. Iam varia sunt præce-
pta formandorum mẽbrorum, ut stes ele-
ganter, ambules decenter, quæ cuncta ad-
disces paulatim. T. Verùm quid inde
ad me redundabit solidi? Hor. Illud, ut
quòquò te vertas, concilies tibi hominum
gratiam, dicaris; uti corpore, ita Ingenio
versa-

versatilis. Har. Turbo, ubi habes illud vulgare tuum, heu mihi! Hor. Quid tu vis tibi? Har. Vt malè sit tibi, qui ex scholarum otio nos pertraxisti ad inepta negotia, duplo mihi jã quàm antè est deterius. Hor. Nescio, an Momum tecum habeas, an famulum, ita dentibus est formidabilis: Sed nos ánne paulisper ludimus? T. Chartísne. H. He, puerilia, pilà minore aut ballonis. T. At ego nec vidi hos lusus unquam. H. Suspicabar ita estis in scholis abjecti, sed eamus ad locum lusus. Ne dubites, cum annum inter hos eris homines, multa tibi consueta erunt, quæ nunc videntur nova. T. Nescio, quid mihi fiat: ut trahimur nervis, alienis mobile lignum. Har. Nónne heu mihi! Hor. Allousdonc. Har. Eamus, posteaquam ita irati nobis sunt Dii, ut quotidie reddamur ineptiores. Mihi sanè, ut prævideo, vivendum posthàc erit inter conflictus perpetuos.

SCE-

SCENA III.

Magist. Ling.

Panurgus. Malliet. Harleq. Turbo.

P. SI quis ex me quærat fortè, quis sim? unde? quò eam? aut unde vivam? ædepol nescio, Nec enim vitæ genus profiteor, nisi q̃ casus mihi imponit, nec nisi Mundum Patriam agnosco, nec tendo aliorsum, nisi quo fata ducunt, deniq; alit, quisquis me primus suscipit. Miserã equidé sortẽ, & ingenii vagabundi merces, ut ad cujusvis nutũ venale corpus circumferam, hactenus per omnes terræ angulos jactatum. Et tamen, quantumvis longè infra spem quondam meam, & mométaneâ interdum quiete delector. Credo etiam *ipsam miseriam reddi iucundam, si venit in consuetudinem.* Sed venter intus latrat, qui placandus mihi est efficaci ad cõmiserationé oratione: hũc primũ aggrediar. M. Inauspicato prodiit, q̃ famé habeo in occursu. P. Dũ accipiã, unde hodie vivã, de crastino cras videro. M. Si Dii hodie mihi benè velint, cõmittam hunc hominé

cum

cum Harlequino. P. Si quid unquam Domine in vita expertus es adversi, aut minùs habuisti spes secunda, aut labores ingentes irritos, aut Fortunæ in genus tuum, studia, merita ludibrium es expertus, miserere mei, hominis jam multis annis sæva tempestate jactati. M. Equidem mi homo incidisti in hominem æquè miserum, & vel hoc nomine infelicem, quòd miseriæ tuæ succurrere non potest, saltem lachrymas suas addere. Sed hic in proximo homines habitãt opulentissimi, quos tibi, dum plura nequeo, conciliabo. P. Patria illis quæ est? M. Sarmatia credo, aut Schlavonia, aut Moscovia, certè admodum peregrini sunt. P. Sed vitæ genus quale? M. Literis impense favent, & linguas amant, unde si variè eos alloquaris, optimum feceris illis, tibi fructuosissimum. P. Et Genere præpollent? M. Vtiq;, sed alter vestibus luxuriat, ut plerumq;, nescio quid ridiculũ repræsentet. Sed quid verbis opus, jam eo, ut eos evocem. P. Deus te servet. M. Tibi id potius opus est, ne hodiè vapules, Evocabo

Har-

Harlequin, tanquam ad Sympatriotam. P. Benignum hunc opinor hominem, si id loci ingenium permittit, sed revocavi ipsi fortasse toleratam quondam miseriã, quâ tactus est: sed quæ hæc facies hominis? H. Quis me vocat? & interturbat graviora negotia? P. Signor mio voi vedete per essempio che la Cornamusa nõ suona mai, se la non hà il ventre pieno: cosi io parimente non vi sò contare le mie fortune, se prima il tribolato ventre non hà la solita refettione. Al quale è advisò che le mani e li denti habbiã per so il loro ordine naturale, e del tutto annichilati. H. Ecquid loqueris? P. De tanto hablar yo soy cansado, porque suplico a vuestra Reverencia, que mire a los precetos Evangelicos, paraque ellos muevan vuestra Reverencia a lo que es de conciencia, y si ellos no bastaren para mover vuestra Reverencia a piedad: suplico que mire a la piedad natural, laqual yo creo que le moverà como es de razon, y con esso no digo mas. H. Exspecta dum adferam dictionaria mea, si quid fortè horum ibi

raperiam ; P. Vasha Gnada jest hozhem naushe vishe skussiti,abibi mogel uaschè serze resmoziti. Sakei aku misidai sagada hpomuzhi napridete taku ja sa moja Zheua dianukatera sa velike lakote volo sday se hozheo essuschiti. H. Equidem credo te conjurare Diabolos. Here here, venissi fittemant,fittemant. T. Quid clamitas? H. Ecce tibi hominem, qui linguam mutare potest in omnium brutorum sermonem. Audivi loquentem ut Asinum, mox ut Taurum,deinde Anserem,tandem credo Diabolorum linguam proferet. T. Quid tu offendis innocentes homines, sceleste ? Amice , ecquid tibi vis ? P.
שלום לך ארוני. שם נא בכל לעב
רך: כי עני אנוכי ואבין למען תנה נא
מצעירת לתם מצעירת מים
אראנרת בסס יחירה: וימלא יהוה כל
ממשלתך: אבלכי לא נתתן אתה בן
כליעל אתה נמשלת עם יוררי בור:
Schalòm lechà Adonai:Schem-nà bechòl leab décha:kiani anochi veêbiòn : Lemáan tenah-nà miziràth léchem , miziràth maym,

maym, ò acoràth késeph jechidàh : vaje-
mallè Iehovàh chol-méschaltécha. Abàl,
kilo nothénattà, Ben-Beliiáal atta, nim-
schálta im jorede-bór. T. Non satis te in-
telligo. P. τὸν ἐν ἀνθρώποις μέγαν γενέσθαι ἐ-
θέλοντα, δεῖ εἶναι πολύγλωσσον. ἑτέρων γὰρ
γλωσσῶν γνῶσις τίκτει θαῦμα μέγα. ἐὰν θε-
λῇς ὧν γλώσσας μαθεῖν, κύριε, ἐγὼ μὲν αὐτὰς
μικρῷ μιθῷ σε διδάξω. πρῶτον δὲ λιμὸν χαὶ δίψαν μου κώλυε. λιμῷττω γὰρ χαὶ δίψῳ λίαν.
T. Ne sçauez vous pas parler Francois?
P. Si scay tres-bien; Seigneur, Dieu mer-
cy: c'est ma langue naturelle & mater-
nelle: car ie suis nay, & ay esté nourry
jeune an jardin de France. T. Et Ger-
manice loqueris? P. **Herr ich könt wol
Teutsch/Aber was hülfft michs / weil jhr
mir nichts geben wolt / Mein Zung ist
mir nuhn mehr so dürr / das mich viel
mehr gelüstet einen guten Trunck zu-
thun / alß viel Sprachen zu reden.**
Harlequ. **Eck skal dy rest eins brin-
gen.** T. Si Latine loquereris, con-
veniremus fortassis. P. Quid addam

ultrà, postquam per Deos Deasq; & Musas omnes à vobis nihil impetro, finite me inclementes viri ire, quò me aspera fata trahunt, retrahuntq;. T. Nunc quidem te intelligo. Ha. Quæso quid locutus es prius? P. Italicè, Hispanicè, Sarmaticè, Græcè, Hebraicè, Gallicè, Germanicè. H. Ha? cur non jam ante indicasti mihi? & respondissem tibi in singulis, ad singulas: imò plures ego calleo Herr/ Monsieur, Dominus, Signor, Pan, Kyrios, Vrã, Morio, Adonai, Sennor, cætera sensus habet. T. Hic tibi dies infaustus non erit: nã hominem reperisti, qui agnoscat dotes tuas. H. Nonne etiam potes linguam Vtopiensium, Barocensium, Bocardensium, Felaptensiũ, Disamensium? P. Fortassis. H. Et vidisti terrã Audivi, terramq; verborũ congelatorũ, terramq; Ivouroniam, & urbem Bacherã, & avem Rukh, & Cingulum Omasii, & pileum Gephyrinionis. P. Omnia. H. Noli mirari, nam & ego decies orbem totum circumivi, vidiq; quæ planè incredibilia: sed unũ dic mihi, cur mendicas, & caligas habes

pessi-

pessimè consutas? Iterum dic mihi, annon potueris ex tot linguis, & totidem Regnis suffurari tãtum, quantum sufficit ad pileũ novum? Et quæro, an semper ita malè habeas? insuper quæro, quantũ à me velis habere? porrò quæro, quò tendas? ac quæro postremùm, quid tecum, & quod millenos portes pediculos? T. Noli offendi, apud me habebis mitius. P. Ego offendar, qui callum obduxi ab offensionibus duodecim spithamarum? H. Turbo, scin' quid mediter? T. Audiam. H. Cùm unicam Germanicam linguam potui, fui ditissimus, posteà Latinam adjunxi, & pauper factus sum, nunc in Gallica, excrucior, & ad mendicitatem propero, si ita pergam brevi ostiatim obambulabo, sicut iste, quem apparet æquè fuisse quondàm opulentum. Nunc judica, quid de te futurum sit? qui non minus nummorum insumis, quàm ego: *Scilicet nummos præsentes dabimus pro lingua, quâ emendicemus iterum nummulos futuros.* P. O. o. nescis tu nos omnes vivere ex alieno. quid interest, petas, quod opus tibi est, aut spon-

tè tibi affluant ſimul nĕceſſaria & ſuperflua? T. Tu prandebis hodiè mecum, & audiemus tua Odyſſea. H. Non ſuadeo: Nã ut hic multilinguis nobis minatur, haud habebimus ſatis abſcõditos noſtros nummulos. Per linguam, niſi maturè prohibeam, Turbo meus hunc linguoſum linguacemq; hominem hodiè conducit.

SCENA IV.

Geryon, Lapitha, Bleſſus, Harleq. Turbo, Panurgus.

G. NEc vidiſti ipſum hoc triduo? L. Non equidem. G. Sed miniſtrum ipſius? L. Semel aut bis, verum cogitabũdum, & ut ſolet, cũ Herus novũ vitæ genus induit. B. Equidem mirum eſt, vivere poſſe hominem qui ſibi quotidiè diſplicet. G. Sed illud q̃ jam agit, quale eſt? L. Ridiculũ eſt, Mappas habet prægrãdes, & retia, quib. linguas omnes ad fontes & principia ſua revocat. B. Scilicet, ut uno labore omnes diſcat. G. Ha, ha he! L. Et harmoniam ſcientiarum omnium inveſtigat, retrogrediturq; ad artiũ ſcaturigines. B.

Nem-

Nempe Hesiodi catena est. L. Itaq; jam fodit, ut verum effodiat. G. Abrumpe, si nos vis salvos, & hanc hastã accipe. Nam illi quidẽ insanire licet, dum libet, tibi nõ item, qui à Majoribus degenerare nõdum decrevisti. L. Sed ab oculis, memento, abstineas. B. Satis memini, L. Cõgrediamur.

Conflictus Pugilum.

Har. Hola, hola Messieurs, attendés un peu, quid sibi vult hæc barbaries? ad Iudicem, si quis alterum offendit. Tibi dico, laissé done par mafoy, aut abibis hinc absque capite, **Burgsrid**. L. O Harlequin, grand ami, quàm exoptatus mihi succurris, hic mortem intenderat. H. Tibi? L. Imò mihi. H. Nec aufugisti? ma foy, oportet te esse Asinũ. B Heus Harlequin! H. Ne quid propius. B. Proponemus tibi casum, tu Iudex eris. L. Ego prior. B. Ego prior. L. Ego prior. B. Ego prior. H. Vah inepti esto uterq; prior. L. Tace tu, aut vapulabis. B. Tace tu, aut verberaberis. L. Lucius Agato Priscius, nec vir, nec mulier, nec Virgo, nec Iuvenis, nec Androgynos, hunc sibi quisquis habuit

dando cicatrícem, vulnus profundum intra corticem arboris in ſublimi vertice eſſe, voluerunt accipere, quid juris? B. Nequaquam: ſed ſtabulum ingreſſus villico, ſanavit ſiccus intra Herculem, ac propoſito ſibi undecunq; hodiè acciperet libellũ ſupplicem, porrexit illacrymando flebiliter. Nonne Iuris? H. Intelligo. Nónne tu habes cicatricem? L. Ita Domine H. Et ille flevit? B. Omninò. H. Sed cur tu flevisti? quia ille habet cicatricem? L. Quoniam omnis mons excelſior eſt valle. H. Benè, ſed ſi vallis ſtat ſupra montem. B. Tum glycyrrhiza medetur tuſſi. H. Tuſſis autem nónne offendit fauces? L. Omninò: ſunt enim ſemper duo recti in omni triangulo. H. Ita argutè, quoniam triãgulum ſemper quadratum eſt. B. Vt Virgilius ait, Cujum pecus? H. Hem tu me vocas un cuion, ſceleſtiſſime agri Phænicum? L. Vides malitiam hominis. H. Video, ſed commodùm herus meus. Vah here mediâ luce homines hîc ſe interficiunt. T. Salvete. L. Salvus ſis. H. Aſt ego prohibui.

bui autoritate, viribus, judicio, consilio. T. Macte Harlequin, sic itur ad astra. G. Ego risu hactenus propè corrui. H. Etiam rides in capitis periculo. G. Quid dicam, quòd hoc triduo non interfuisti nostris exercitiis? T. Equidem huic homini dono dedi tres integros dies, nec pænitet. L. Ecquid fabricatis columbas ligneas volatiles? H. Fatendum est, nũquam mihi magis oneri fuit ullius institutio, quàm tua; dum enim Dictionarium meum, & Dittionario, & dictionaire, vnd Wörtlinsbuech/ Latino-Germanicum, & François Aleman, & Italiano francese. & Rumb vnd Rumb vnd durch einandey mecum circumfero, ter centum pondo vix respondent oneri. T. Nunquam credidissem cibum illum tam insigni artificio recludere posse linguarum claustra. L. Sed profectum aliquem inde speras? P. Ne dubites. T. Videor mihi procul intuerī linguarū ostia. P. Ita est, cùm in centro repositus fueris, licebit tibi egredi ad quamcunq; linguā. B. Mysterium. Quin tu potius his omissis ine-

ptiis membra tua mecum exerces? H. Hem! ánne ad homicidia iterum. G. Quã importunus rerum censor tu es, nisi properè quiescas, hos omnes in te committam. En Turbo, nos colludemus. Ille & Blessus. H. Egóne patiar. T. Desine tu. H. Ho ho bene: Si intereundum est, veni Panurge, ego te occidam. P. Absit talis error. H. Perge, perge, ne moriamur tardius, vides quàm illi jam canant Media Vita. hem anne morieris inultus? P. Cave tibi.

Conflictus trium parium.

H. ho satis est. P. Nondum. H. Satis inquam est. P. Atqui mori paratus eras. H. Sum, verum absq; verberibus. Desine tu inquam, si sapis. T. Sitio mehercle, ecquis nobis potum adfert? H. Ego, ego, ut salvâ dignitate aufugiam. P. Hodiè quidem evasisti. G. Nónne satis est corpus curare motu, quàm literariâ desidia absumere. T. *Sua est literis iucunditas, exercitiis sua.* H. hem, quis est, qui sitiat? ego præbibo. T. Quin tu mox porrigis, heluo? H, Differ, differ: ajunt nocere

cor-

corpori, si quis calidus potum præcipitet. T. Iamne porrigis? H. Atqui vitrum meum nondum vacuum est, sed accipe, ne irascaris, & calescas duplo. T. Haustum Athleticum. G. Salvus sis. H. Oportet Nebulones vos esse omnes, qui paulò antè necem vobis invicem intētastis, nunc cōvenitis, & combibitis. B. Tace, venenati haustus sunt, quibus se mutuo absument. H. Itane? B. Ita profectò. H. At ego prior hausi. B. Sapuisti, ita non inspicies reliquorum mortem, scilicet præcurres ad Charontis cymbam. H. Quid ais? B. Quod res est, Nónne jam malè habes? H. Certè, ædepol, medius fidius. B. Paulò pòst videbis ipsos insanire, & titubare, & balbutire, & torvum prospicere. H. O facinus, imbibere insaniam? B. Sed & ego bibam. H. Noli. B. Quare. H. Vt supersit, qui fata nostra referat. Ego verò nescio, quam benè habeā. T. Quis te turbat? H. nescio, sed in cōsuetudine tua mihi semper malè est. T. Quid ita? H. Quid hîc egistis? T. Membra exercuimus,

brachia, lumbos, omnes nervos fecimus agiliores. H. Terra vobis aranda foret, & fodienda, aut findēda lingna, aut cōportandi lapides, si exercitiis opus habetis. B. Memento Harlequin, te atq; nos omnes sublimiori loco positos, quàm ut Terræ luto nos conspurcemus. H. Euge, euge Turbo meus! quàm triumphat, & exultat,! peream si non hac ipsa die ex te audiero, molestū illud tuum heu mihi! heu mihi! Sed ut res tuę sunt, facilè ex quisquiliis capiunt voluptatem, ab apluda doloré. Ego abeo. L. Comitemur eum, ne suspendat. B. Eamus, Nam Cænæ hora est.

SCENA V.

Harlequin.

SAlvete spectatores, quos ego nūc primū intueor, hactenus occupationib. prohibitus. Phy, quæ turba? an me agnoscitis? an scitis nomen? Patriam? Parentes? Vitæ genus? Ego Harlequinus sum, Turbonis Minister, turbarum socius, turbinum executor.

Per-

Per varios casus, per tot discrimina rerum,

veni ad vos, ut si quis inter vos, qui Turbonis mei cerebrum curare ausit, prodeat, & artem suam meis artibus commisceat, jam Logicus est, Rhetoricus, Mathematicus, Politicus, Historicus, Aulicus, Peregrinator, Linguarum peritus, Pugil: Nec tamé sapit, & quod tacitè pronuncio, quotidiè minus. Pudet referre. Intus saltatur capra, & salit ut Caper, & subsilit ut Capricornus: cùm revoco scholasticam vitam, primum caperata fronte syllogismos nexit, & fuit piscator, posteà deductâ fronte ad ravim declamavit, & fuit Circulator, mox orbes circumgiravit, fuitq; tornarius, post fabulas collegit, fuitque anus: deinde Mündum examinavit, fuitq; Lug ins Land: insuper aulas inspexit, fuitq; equiso, ab eo in Mündum excurrit, fuitq; tabellarius, linguas didicit, fuitque polypus, usq; dum in rabiem conversus, nunc conflictatur, & saltat, ac omninò cuncta amotæ mentis signa profert. Ecce

urinam, quàm turbida est, quàm syllogismorum, Astrolabiorum, Mapparum, Politicorum, Nomenclaturarum, Vrbium ac Pagorum plena, illam tamen olim desideratam Sapientiæ Arcem non invenio: equidem malè habet, quod velut affectatâ impietate ejuravit ineptiã scholasticæ sanitatis, & tanquam virilibus vitiis testetur, se ab ea imbecillitate recessisse, quæ aut Deum, aut homines timet. Ego morũ Magister ei positus sum, sed nihil ago: optimum est, si perpetuò subsequar, incidamusq; tandem vel imprudentes in bonum. Nónne Musicam audio? a dieu.

SVBVLÆ SOCIETAS.

SECVNDI INTERSCENII nomine convocata:

Gubernator, Bolsius, Examinator, Agrestis, Sorbinus, Avidus, Forcipinus, Ansius, Griphus, Notarius.

Gub. ETsi ordo nullus, nullaq; vitæ societas maior est, quàm qui Subulæ

bulæ nomen dederunt, nunquam tamen ita increſcit, ut adverſariam ſuam Prodigalitatem planè exſtinguat. Nec enim quia illa à Rege uſque ad Agricolam omnia vitæ genera ſub imperio continet, hæc ſuis cultoribus caret, quin potius eum habet numerum, ut obviam ire ſit neceſſum. Vnde gaudere admodum nos, qui magnificæ Subulæ curam gerimus, convenit, quoties ſe aliqui noſtro ordini adjungunt, quales hodiè læto vultu hos præſentes ſex Parcitatis & Tenacitatis candidatos intueor: quorum nomine, ſi quid habes, quod proponas, fac utiliſſime Domine Bolſi. B. Magnifice & proſpectiſſime vir, hi omnes cum hactenus Subulæ ſedulam operam navârint, animo intrepido ad examen accedunt, ut illorum virtutibus patefactis, ſolertiſſimorum virorum collegio annumerari queant. Gub. Gratulor ſimul nobis atq; illis, qui ſua hactenus benè adminiſtrârunt, nam

qui sua consumunt, cum deest, aliena sequuntur.

Etsi verò de profectibus eorum haud dubito, leges tamen nostras negligere nō licet, ubi itaq; examinatori permitto, horum virtutes jam jam explores. Exa. Accedant examinandi. Agr. Exactissime Domine. Ego Agrestis sum, tenuis fortunæ homo, sed cui nihil deest. Ex. Quæ est in te virtus, ob quam te speras dignum amplissimæ societatis? Ag. Hæc, quòd pauca à parentibus meis accepta, etsi non auxerim, ita tamē conservârim, ut in hunc usque diem mihi suffecerint. Ex. Qui potuisti? Ag. Præmisso, quod hospitem, amicum, socium neminem habeo, médicantibus formidabilis sum, convivia, ferias, natales, Bacchanalia, Martiniana omnia nescio, ædes meas nūquam vel esculentis, vel poculentis vel suppellectilibus impleo. Ego quid edam, quid bibam, quid ludam, unde vestes habeam, alios scire nihil refert. Durum id nonnunquam fateor, sed dum clanculum fiat, posse domi acquiescere jucundum imò: *Non minor*

nor est virtus, quàm quærere parta tueri. Gub. Laudo vitæ institutum, sed jam hic conside. Ex. Ecquid tu bone vir, in te virtutis habes, nostro ordine condignæ: Sor. Ego Sorbinus sum, in humanam societatem natus, verùm id mihi Natura invidit, ut per me viverem, unde *serviendum multis est, ut à multis accipias.* Quis vero id melius faciat, quàm divites, qui laudes, gaudia, amicitias, & pleraque alia magno emunt, quibus me inservire par est. Itaq; ab iis accipio, non unde quotidiè saltem vivam, sed resculas etiam meas adaugeo. Credite, *mendicitas pauperem non facit, sed ingratum.* Cæterum ne quis alius etiam meis insidietur, cautio est. Semper pauperem me fingam, & potiùs mille bonis verbis, totidemque suspiriis, quàm nummo adjuvem. Notum est:

Sola miseria caret invidia.

Sic paulatim & nemine conscio exsurgo, quod reliquũ, vita mea absq; sumptu meo, inter hilares hilaris est. Gub. Vere tu notas boni habes Subulatoris: itaq; asside. Exa. In tertio, quæ virtus Compagniæ nostræ.

ſtræ decora? Av. Ego M. Avidus ſum, multis in rem literariam meritis notus. jam à multis annis pueros varia artiũ genera doceo, ſed tardè, ne ſe præcipitent, & ſimpliciter, ne ſe obruant. Libelli mei teſtes ſunt, quos prælegere mihi difficile nõ eſt, audire aliis, quia tritum, non ingratũ. Pueros interdum parentibus laudare, abſque lucro non eſt, molliùs habere, Matribus non vile, libellis donare non damnoſum, domum comitari, non infrugiferum. Poſteà ex verſibus, ex præfationibus, ex literis præſcriptis, ex privatis inſtitutionibus, Collegiis, cenſus meos accipio, quò frequentiores, eó acceptiores. Sed de eruditione mea dubitatis, equidem nõ negabo vobis, illis affirmabo nunquam, ſed in laudibus meis pono, eam artificiosè tegere. Deniq; ſi nullo colore retinere pueros amplius poſſum, abeant.

Multi incipiunt, & pauci ad optimam frugem ſe recipiunt, Interea literæ mihi ſteriles non ſunt, dum rectè tractentur. *Nam ſcientiæ cauſa diſcere, ieiunum eſt: ſi ingeniis hominum literas accommodes,*

nun-

nunquam redibunt vacua. Illud jurare ausim, qui hodiè maximè celebres sunt, imperiti sunt. Gn. Dignus hic homo est, quē magnis nostris arcanis adhibeamus, qui literarum mercaturam instituat. Assi-
de Domine Magister. Ex. Ecquid tu tecum murmuras? For. Moræ me tædet, quæ me hîc absq; ullo lucro detinet. Bottega mea domi clausa est, indeq; absq; ullo dubio aliquot emptores exclusi. Ex. Fer patienter, quia hoc quidquid est, honorificum tibi est. Fo. Mihi honor nullus, amicus nullus, nisi præsens nūmus, cui reliqua omnia venalia sunt. Pauper quisquis est, nequam est, Dives quisquis est, bonus est. Certè ab eo tempore, quo de meis mihimet prospexi, inter omnes melius habeo, qui prius ubiq; ingratus fui. Ex. Sed quæ tua ars est? For. Multiformis, ordinaria quidem, quod lardum, butyrum, sevum, oleum, semina, varia vendo.

Venalesque manus, ibi fax, ubi maxima merces.

Sed maximè temporis maxima cura habenda est, prima pira, poma, pruna,

dum

dum cara ſunt, vendere, rebus inuſitatis, hominibus appetitum accendere decet. Quid verbis opus eſt? veniat ad me, qui volet, emat qui volet: faxo nec me, nec illum pæniteat, Hoc affirmare auſim, *nihil tam minutum eſt, quod lucroſum non fit, ſi in hominem intentum incidat.* Non indignus es noſtro collegio, etſi tectiora lucra mallemus; Quod tibi nomen eſt? For. Forcipinus ſum inſtitor. Gub. Benè eſt. Ex. Accedat quintus, & virtutes ſuas enumeret. An. Exploratiſſime Domine, ego Anſius ſum, vobis ut audio planè accommodus. Nam mihi nec officium nec ſervitium ullum eſt, nec uti videtis ſordidus ſum, ſed nequaquam mei profuſor. Hæc quæ in me videtis lautiora, in multorum annorum uſum ſufficiũt, nec domo niſi cum dignitas expoſcit mea, egrediuntur. Imò ſi commutatio aliqua arrideat, dimittuntur à me poſt longum ſervitium, veluti intacta: quod reliquum eſt ex honeſta uſura, dum ſingulis ſeptimanis ex floreno cruciatum accipio, honeſtè vivo, & proximi ſimul ac mea commoda

moda procuro. Si quid emendum est, sub hasta emo, ut si quod alius fortasse à me iterum emat. Naturæ rarioribus, libellis non ubiq; obviis, antiquis nummis, curiosorum ingeniis inservio, nunquam cum damno meo. Monetas etiam maiores minoribus commutare inutile non est, & scire valorum hinc inde differentias. Sic hilarior plerumque appareo, in primis in alienis ædibus, meas quidem internè pauci sunt intuiti, juxta illud.

tecum habita.

Plura non explico, quæ vos singula scitis, ne me vobis, sed vos aliis detegere videar. Gn. Lepidũ caput, dignũ cui thesauros cõcredamus nostros. Ex. Núc sextum audiamus. Guph. Ego Griphus sũ, famosus Procurator, sive Advocatus, sive Causidicus. Ex. Formidabile munus habes, sed virtutes explica. Gub. Quid opus est? facies, manus, nomẽ officiũ suffecissẽt vobis, & ordini commodâssent. Oculi Briarei, Sphyngarum ungues, perjuria Laomedontis, Vlyssis argutiæ, Sinonis fallaciæ, fides Polymnestoris, Advocatum faciunt. Ex. Vt sermo & vultus tuus est, vix tibi quisquã

effugiet, sed tamen mysteria nobis quædam aperi. Gu. Vah! usitata sunt, lites serere, easq; protrahere. Nam *ut lis litium mater, sic Advocatus Pater est. Lites verò pendere diu, vindemia quædã est.* Ex. Quomodo utrumq; facis? Gu. Aperiam vobis quædam. Rusticelli, qui facilè irascuntur, provocandi sunt, expeditissimâ causæ obtinendæ ratione, & certæ victoriæ fiducia, si tardiores sint, posteritatis infamiâ excitandi, ubi primum litigare inceperunt, in manu nostra est continuare. Ex. Quæ summa hujus artis observata sunt. Gu. Illa meo judicio. Primò divitum causas potius agamus, quam Pauperum. Sunt enim illæ & ferventiores & pinguiores, & diuturniores. Deinde, ne quis vel linguæ, vel calamo, vel papyro parcat, hæc enim cuncta clientib. æstimare licet. Postea ne quis eruditionem affectet; nam quo quisq; ineptior, eò audacior est, eò clamosior. Hodiè doctiores non sunt, qui lites creant, quàm hi sunt: qui si nihil est litium, lites serunt. Tum convitietur etiam adversam partem, id enim & jucundum

est

est clienti, & serium videtur. Sed & pacisci decet, si victoria sequatur, quod utrumq; & advocatum, & clientem vigilare facit. Nec non pro pompa, & concursu hominum aliquid faciendum, ædes splendidiores, bibliothecam instructam, emissitios laudatores habere. Interdum spontè negligenda quædam sunt, quę emendentur, iterum sub temporis mora. Sed maximè videndum utriq; parti præsis, & qui alterum defendit, sit substitutus: sic moras trahere, sic transigere tibi, quoties commodum erit, cum lucro licebit. Deniq; tentandum, non qui bonam causam tuearis, sed malam obtineas. Gub. Hoc denique vivere est, & jura humanæ societatis tueri. Not. Magnifice Domine, in frugalissimis istis viris parsimoniæ virtus tāta est, ut nostro collegio non solum digni videantur, verum ne societatem hanc nostram aspernentur, summis precibus contendendum esse, censeam. Depositionem autem meam summatim declarabo. Dominus Agrestis opes à Ma-

Profectò sex sociorum.

à Majorib. relictas quomodo possint augeri, docet. Dominus Sorbinus, quomodo possit quis absq; sumptu voluptatibus operam dare. Dominus Magister Avidus novo quodam modo ludi lucra indicar, & quomodo ignorans docere possit, ostendit. Dominus Forcipinus verò, lucri in unaquaq; re acquirendi viam aperit. Dominus Ansius, quo quis modo absq; sumptu lautiusculè vivere possit, pulcerrimis rationibus notum facit; deniq; Dominus Griphus causarum agendarum utilitates detegit. Id Dominationi vestræ significandum volui, ut quid faciendum sit, illa decernat, hique ad exoptatum finẽ pervenire queant. Gu. Faciam equidem lubens, si prius ad solemnia nostra Capita Domini Candidati se juramento obstrinxerint. Formulam recitet Notarius. No. Iurabunt Domini Candidati. 1. velle se singulis diebus aliquid lucrari, vel saltem nummis insidiari pro virili. 2. In vestibus, cibis, reliquisque utensilibus, nõ secundũ artem, vel subtilitatem judicare, sed solidiora appetere. 3. Conviviis intra ædes, elee-

Iuramtm. 6. Candida: torũ hij Soc.

eleemosinis, ut & periculoso mutuo, omninò renunciare. 4. Canes, volucres, Sciuros, taliaq; inutilia animalia nūquam alere. 5. Deniq; hunc ordinem nostrum secretò fovere. Gu. Fecistis optimi viri, quod vos decet, nos quod decebit, jam facere æquum est. Cogitabitis autem non vulgarem vos ingredi ordinem, sed Regium planè, Philosophicum, Beatissimum, perfectissimum. Ecquid splēdidius quàm sive ab aliis alaris?

Regium est cœnare asymbolum:
Sive tuis opibus utaris;
Nummus ubi loquitur, Tullius ipse tacet.
Ecquid Philosophicum magis?
Omnia agere propter finem.
Vel sanè;
Paucis, minimisq; Naturæ satisfacere.
Ecquid beatius, quàm domi acquiescere?
Tutior solus, quàm malè associatus.
Tum suo robore stare, namq;
Divitiæ nervi sunt rerum.
Ecquid perfectius, quam integrum hominem esse?

Sol & homo generant hominem.

Nullius fraudibus patere;

Fingere si nescit, vivere nescit homo.

Sua omnia facere;

Non maculat palmas, qui sua facta facit.

Temperanter vivere.

Omnis Repletio mala est.

Iudicio valere, juxta veterem cautionem.

Rem cui des, videto.

Quæ vos nequaquam contemnere, sed reliquis humanæ vitæ commodis præferre omninò decet: sic verè abundantes, verè potentes, verè voluptuarii inter alios vivetis, & labores illorum, imò & bona vindicabitis, quod ut felicius fiat. tu

Oro miserere laborum.

Quod reliquum est, Comprobata vitâ, morumque institutis ab inquisitore, qué in vos dederat ordinis nostri cõmunitas, quod felix ac utile sit, pergere vos jubeo, ad honorem, quos cupitis cõsecutionem, publicè etiam judicium de vobis nostrum Confirmaturus. Hoc vos scire volo. Surgite igitur mecum, & ad solennem digni-

gnitatis vestræ renunciationem mecum properate.

DIXI.

ACTVS TERTII.

SCENA I. De Amoribus.

Turbo. Labella. Rubella. Harleq. Musici.

T. IMpera mihi mea bella Labella, nec enim citiùs fatigabor obsequio, q̃ tu mandatis. L. Nunquam imperabis, ut pluris me judicem, quãm servam incillarum tuarum. T. O âdmirabile! in am regio palatio, & divinâ formâ, habitare hanc humilem animam. L. Id liberatitatis tuæ est, ut ubi maximè laudis nopem videas, ibi cumulatè effundas. Ego qualis sum, satis formosam me redo, dum mecum acquiescas. T. Ha Labella! cælum meum! ubi perfectiones aturæ contemplor. L. Hæc Eloquentia

quot jam combussit credulas virgines? T. Venerem testor, Deam formidabilem, hic amor meus integer adhuc est, nec dividi potest: pars illa, quam tibi dono, totum est. L. Somnium credo, qui enim vigilanti mihi Dii tam sublime donum concilient. T. Prima es, cui affectum meum sacrifico, eriscq; si velis, ultima quæ possideat. L. Eloquentia tua os mihi obsignat, & æternùm silere jubet. T. Imò liceat mihi vel semel affectum detegere, & cogitationes: posteà si ita videbitur, ad æternum me condemnabis silentium. L. Ne aperias quęso secretum tuum, nisi tam expediat iis tacere, qui audiũt, quam tibi, qui effers. T. Secretum meum, votum est, spes est, anceps vitæ sors. L. Itáne optare soles? T. Opto me felicissimum L. Prudenter, sed si fors vetet T. Tum Mortem eligam: nam quod voveo Vita est, & mortem dare potest? T. Quæ illa crudelis felicitas est? T. Major est, quàm lingua mea nominet. Suspiria mea, lacrymæ, singultus, pallor sint mentis meę interpretes. L. Nihil est, quod impe-

trare

trare non possis, si hoc os, hi oculi, hoc compositum corpus petant. T. Tuum est, ô Labella bella, dare, & negare, sed negare tuum non est, ô bella, quæ occidere non didicisti. Et dare tuum non est, ô bella, quæ Venerem nõdum habes adeò crudelem, ut sordidi hominis precibus tangaris. Verùm quòd adeò infelices sunt mei amores, ut finem, nisi mortem, polliceri non ausint, nec minus intereà cor meum assant, ac torrent, ecquid dementius feceris, quèm me perire manu meâ, jubeas. Nam mandato tuo suaviter moriar. L. Imò mortẽ tuã desidero, ut ex augustissima corporis tui sede, ad hanc cordis mei deformem Casulam demigres, vivasque hic, postquam splendoris te tædet, ad nutum ac placitum. T. Egóne immigrem? O Salve beatum hospitium suaviorum, basiorum receptaculum! Sed qui aperiam hoc corculum? L. Iam patet. T. Age. tuum hoc est, quicquid apparet, tuumq; erit, quod nondum apparet, tibi Vitæ necisq; potestas in me data esto. L. Itaq; peto. T. Quid imperas? L. Amo-

rem tuum. T. Vah illud tuum mancipiũ! ſed accipe. L. ſt, Harlequin adeſt. H. Here, hodie quidem me dimittes. T. Quò ibis? H. Non poſthac unquam quicquam uſpiam tibi mecũ ſit negotii. T. Quid cõmiſi? H. Tu videris. Nam ab eo momento, quo cepiſti inſanire, mihi nec dormire licet, nec domi eſſe, nec edere, nec res meas agere, adeò tota vita mea hujus meretriculæ ſervitiis impẽditur. T. Quid ais? impurum caput! H. Nunc Muſici convocãdi ſunt, nunc ſaccharũ, & malvaticũ, & aromata comportanda, nunc flores emendi, nunc literulæ tranſportandæ, nunc noctu diſcurrendũ, Sartor, Sutor, Pellio, Inſtitor, Aurifaber, univerſus Mũdus tuis amorib. inſeſtatur. L. An Zelotypus es Harlequin? H. ba, be, bi, bo, bu, mihi Rubella jucundior eſt, quã Labellæ mille. Eam ego amo, illa me amat, ego oſculor, illa viciſſim, & de die nos amamus, ac palã, non ut vos clãculum, nec literulas ſcribimus, ſed aperte confertimus, nec ſuſpiramus, aut ploramus, aut rubemus, aut murmuramus, aut manibus vel pedibus loquimur, ſed plenum

num amorem largiter effundimus. Nónne Rubella mellea? R. Omninò, ſed tamen comptior es, quàm ante. H. Id decebat, ut adderem hanc corpori meo gratiam, tui gratiâ. T. Et Muſici nónne aderunt? H. Nónne Rubella, Herus meus ineptiſſime amat? R. Scilicet. Virgini omnia ſua poſthabet. H. Verum eſt, nam & libros omnes abjecimus, & Pánurgum ejecimus, & pecuniam omnem abſumſimus, vobis ut placeremus. R. Etiam pecunias? H. Turbo quidem ad unum nummum; mihi tamen quater centum mille coronatorum ſuperſunt: ánne ſatis? R. Quidni? H. Et veſtimentorum tres centuriæ. R. Tum margaritarum quantum ſatis? H. Et equorum bis mille ſeſqui novem. R. Et boum novendecim ulnæ? H. Et agrorum centum dolia; an ita cōmode tecum vixero? R. Cōmodiſſime, ſed ubi tātas opes habes repoſitas? H. Hinc inde per Terrarum orbem. Nec enim Princeps facile eſt, qui non armenta mea, & greges, & cohortes alat. R. Verum ſi me duxeris, nónne in

num coges ? H. Vah Rubella, mea stella, cùm me habueris, omnia habueris, modò ne sim cocu. R. Euge Symphoniacos ! T. Tandem. S. In tempore venimus, quod rerum est optimum T. Nunc mea Labella relaxabimus animum, ut à curis liber devolitet. H. Optimè, Turbo. Nam hæc insanorum libertas est, cùm vincula diruperunt. T. Quid tu? H. Perge, proficimus. Nam saltando, currendoq; ad illam tuam Sapientiæ arcem citiùs perveniemus, quàm eundo. T. Improba lingua ! Sed quid vos Musici ? Salve Labella.

Chorea.

H. Heus Amor, & scelestâ Venus, & nequam cupido, si nihil mihi aliud dabitis, quàm hanc defatigationem, & noctes insomnes, & picta corcula, & lamentabiles cantiunculas, & tam molestum servitium, Ego quidé hac horâ vobis renuncio, & ad me redeo. Turbo verò meus, quò perrexerit ulterius, eò clamabit fortiùs : heu mihi ! Ego abeo. R. Holla Harlequin opes meæ, dulcedo mea ! H. Nihil impetras,

petras. T. Euge Nobilem Amorem! quàm nunquam ingreditur animam sordidam. L. Euge ingeniosum amorem! quàm exacuit animi dotes. T. Euge politum Amorem! quàm totum corpus ad elegantiam componit. L. Euge Humanum Amorem! quàm jucundæ conversationis cunctos modos profert! H. Euge Asininum amorem, quãtas vobis auriculas imponit! T. Ecce insidiatorem! L. Nobis verò imprudentibus tempus præterit. T Itáne? L. Equidem jam dudum solicita sum, quî me excusem domi. T. Vah Amor eloquens simul est, ac acutus. L. Quid si vapulem? T. Tum plagæ, meæ erunt. L. Ego tamen fortasse citiùs corpore sentiam, quàm tu imaginatione. T. Ah Labella, nescis tu quanta sint animæ tormina, tu sanè si amares, nec verbera, nec plagas, nec vulnera sentires. L. Itaq; amabo, ut mitiùs habeam. Sed abeundum. T. Iamne? L. Imò dudum. T. Navem oportebat hunc locum esse, quo unâ pergeremus, quocũq; liberet. L. Ah, quàm brevi te tæderet tam invisæ co-

mitis. T. Quid? dum viveres, non lato ungue discederē, & morientem quod nolit Deus, non mori sinerem incomitatam. L. Iámne me dimittis? T. Quo? L. Domum. T. Heu molestam domum! quam execror. nisi cum domi es. N. Labella. L. Iesus vocor. T. Ah infelicitatem! Mus. Quid nos agimus? Alt. Quid? nisi abeamus.

SCENA II.

Armenius. Brandon.

A. HO, ho Aleman, amare non ita expeditum est, ac credis, nec si vivo, habebis ineptias tuas interturbatas. B. Verùm Labellæ quid venit in mentem, ut amores suos conferret in hominem, nescio ubi sordidè natum. A. Dicam quod judico. Germani nimium simplices sunt, & paucis, quod summa rei est, aperiunt, nec ita, ut nos anxiè torquentur, postea rerum suarum prodigi sunt, ea res vicit Labellam, si verè amat. B. Imò ajunt, illam

lam nihil dissimulare, & meditari cum ipso discessum. A. Tum mihi Venus, & Mars amator, irati sint, si patiar illam meam, quam dudum colui Deam, me etiam consentiente abduci, ac de tantis affectibus meis triumphum haberi. B. Hæc Amoris schola est, primùm abblandiri, & latà atq; Regià viâ intromittere, posteà si pergas, scopuli meri sunt, & præcipitia. A. Aut fallor, aut dejiciam hominem barbarũ, cũ ille se credet stare loco firmissimo. B. Potiùs valedicas his amoribus, quæ vel hac levitate tibi nauseam facere possunt. A. Illud potius quæro, quî hanc levitatem vindicem. B. Etiam Labellæ insidiaris? A. Vix potero Turbonem lædere, nisi etiam illam tangam. B. Quid meditaris? A. Tibi ego hoc credam. Ecce has literulas. B. Ecquid sibi volunt? A. Primum conjuro fidem tuam. Sed quid dubito? B. Miror. A. Inspice subscriptionem. B. Labella est. A. Benè, Audi, dum legam.

Ire ad Labellam.

Osculum.

Scito Cor meum, & Corporis possessor, inepcum illum Germanum penè esse devictum. Iam cæcus est, iam surdus, iam mutus, iam insensilis, nec superest, nisi ut deplumem, mittamq; in malam crucem. Vnum me malè habet, quod genas meas, tibi debitas, olido ore nonnunquam contaminat, sed solatur, quòd ere suo nobis emit gaudia, sibi risum. Exigua mora superest, cum de eo plenè triumphabimus. Salve Cor meum à Corde tuo.

Labella.

B. Obstupesco. A. Quid ita? B. Puellæ scelus, & malitiam. A. An id non licet, cùm stolidus hircus nec commodis, nec iratis verbis abigitur? B. Iam te miror, quî possis amare hanc bestiam. A. Ne maledicas. Labella has literas nec vidit unquam nec legit, nec fortè ei venit in mentem. B. Quid fiet tandem? A. Vah simplex! has literas ego confeci, ut incidant in manus Germani. B. Nimium amat, non movebitur. A. Quàm Amoris imperitus es, *nemo faciliùs iram concipit.*

pit, quàm amans. B. Sed jocum interpretabitur. A. Non potest. B. At credet plus Labellæ verbis, quàm literulis, os testem habet, quid opus ei manus? A. Sine agam, Ecce tibi alteras. B. Cuius? A. Alemanni. B. Lege.

S. P. Quod de Labella suspicaris, Amice, frustra est, non enim Coniugium quæro, sed voluptatem: illa mihi visa est condigna, quæ lueret scelera, aliàs Germanis illata. Nunc ubi primum extorsero aliquid, laboribus meis respondens, dimittam eam talem, quæ neminem ultrà amet, deleboq; si hæ literæ non sufficiunt, ipso opere tuam diffidentiam. Vale, & papyrum quàm primum Vulcano immitte.

Turbo.

B. Vah lividas literas; credo non atramẽto, sed felle scriptas. A. Sed nónne idoneum tibi videtur, ad dividendos illos, si uno tempore has uterq; legat. B. Non dubito. Sed opus est homine circumspecto. A. Talem ego te judico. B. Obsecro te, mihi negotium tam infame ne cõmittas. A. Quid infame? ubi primùm

Germanus hinc abierit, quis erit, qui literas examinet? B. Sed Pater Labellæ si resciscat, quã indignè filiæ imposueris. A. Vah meticulose, quid si Cælum ruat. *Nulla sunt consilia magis audacia, & felicia, quàm amantum. Venus nõ est observans legum*, Satis est; amor jubet, amor audet, amor præstat. B. Periculosum est. A. Quid ego te agnoscam amicum', si res meæ sint omnes planæ, tutæ, expeditæ? B. Si ad amicitiam provocas, paratus sum, sed *eiusdem amoris est, præmonere de periculo, & in periculo adesse*, A. Atqui hic nisi fides desit, nihil est periculi. B. Trade mihi literas, & reddã expeditum. A. Euge generosum animũ, hinc est, quod me tibi concredidi. B. Curabitur, sed alteras an retinebis tibi? A. Mihi illæ curæ erunt B. Sed velles quã primum expeditum? A. Quidni? eamus. B. Ito.

SCENA. III.

Harlequin.

H. QVod comptior nunc sum, mirum

ne ſit, hæc Amoris prima nota eſt, neſciviſſem me formoſum, niſi amâſſem. Equidem cum illa mea Rubella nunc oculos mihi collaudat, nunc naſum, nūc auriculas, mox barbam, vix mihi tempero à faſtu. Oportet mea nunc omnia nitêre, & eſſe exquiſitiſſima, inceſſum exactum, pedes decenter poſitos, manus & brachia regulas ſuas habere, omnia ex tabulatura, quoniam amo, oculos limos, & annuētes, os ſibilans, manus geſticulantes, pedes leviter prementes, & quid opus eſt verbis? univerſum corporis alphabetum, & mutam linguam decet ſervire meis amorib. Sed audite: etiam Poeta factus ſum, & rebellem bellam Rubellam accuſo ſimul & excuſo, condemno, & abſolvo, profectò jucundiſſimâ inventione. Sed vos concupiſcitis? ha benè eſt, expectate, dum è multis ingenii mei monumētis inquiro. Euge legam vobis, ſed ſub ſilentii fide, &c.

I.

Rubel wit mi/ ſeit ſie Ja/
Ha he hi ho hu/ da da da.

Rubel

2.

Rubel kanst vil/ seit sie Ja/
Fleich fleuden fleich / fleich id dich fah/

3.

Rubel gfelst mir/ seid sie Ja/
Guck guden guck guck/ kom mi nah/

4.

Rubel ist gern/ seit sie Ja/
Botz boden botz botz/ Ich wird blaw.

5.

Rubel hast nichts/ seit sie Ja/
Ey eyden/ ey eyden/ machst mich graw.

6.

Rubel leid dich/ sagt sie Nein/
Au auden/ au au/ Ich mueß heim.

Et alia plura, quæ excellentissimè possunt exprimi pedibus, cum magna vestra gratia. Sed quò minus saltem, Turbo impedit, cui per totum diem & integram noctem discurrendum est, itaq; quod bonâ vestrâ pace fiat, non saltabo. Iam arcanum vobis alterum aperio: prandebimus.

SCE-

SCENA IV.

Brandon. Turbo. Harleq.

B. QVas ego hîc literas gero, literæ nõ sunt, sed lapides, pugiones, milites, quib. ego Germanũ illũ ita delebo, ne quis unquã glorietur, Gallo impunè ereptam amasiam. Sed hîc ad fores Labellæ stabo, ut quãmprimùm prodibit Turbo, hîc me observet, & has meas literas. T. Tu mensam instrues interea, dũ ego abduco Labellam meam. H. Nihil est, quod agam promptiùs. Nam labor hic mercedem habet comitem. T. O Amor, nimium promptus mihi es, adeò ad nutũ mihi cuncta veniunt. Amavi, redamavit, petii, impetravi, vocavi, venit. Non osculum est, non suavium, non basium, quod mihi denegetur. Sed quis egreditur hac? B. Heu mihi! Germanus notavit literulas. T. Heus tu, quid fers? B. Nihil. T. O scelus, non negabis mihi, oculi mei indices fuerunt. B. Quid id tuâ refert? T. Permagni, si nescis. B. Nemóne hic ambu-

Divellit amor
Turb.

ambulabit, nisi sub tuo arbitrio? T. Imo
& examine mastigia. Quid est quod occul-
tasti literas? B. Sine me. T. Non ita,
uti credidisti, monstra. B. Quid tibi ju-
ris est in has literas? T. Hem tibi sceleste!
B. Heu mihi! T. Sic agam, vapulabis si-
mul, & perdes literas. B. Obsecro te. T.
Nihil agis. hem optime eripui literas. B.
Heu mihi! non ausim redire in conspectũ
Heri mei. T. Tu videris, abi in rem ma-
lam. B. In ea quidem tu es. Si ipsa adjuvis-
set Fortuna, non expedivissem negotium
fortunatius. T. Immortalem Deum, La-
bella scripsit, hem quid scribit, aut cui?
holla! ah! styx, phlegeton, trente diables,
furiæ infernales! Harlequin? H. Quid
est? T. Appage te hinc. H. Reliquisses
me tibi. T. Heu, heu, heu mihi! H Iterũ
heu mihi! jam tempus nõ est, potius Euo-
he. T. Apage, apage, ne appropinques
mihi. H. Libenter, visne catenas adferam,
quibus constringaris? T. Sceleste. H. Aut
laqueum, cui collum indas. T. Nebulo.
H. Aut culeum, cui includaris? T. Heu,
heu, heu, heu mihi! heu æternum mihi!

H. No-

H. Noli, nimis longum foret. T. O scelus scelestè, nebulo, trifurcifer, cacodæmon, bestia, belial, quid impedit, ne te discerpam? H. Quid? illud quod non nimiũ appropinquo. T. Amove hoc, ipso momento mensam, mappam, scabella, panem vinum, omnia. H. At ego esurio. T. Heu infelicitatem meam! heu dedecus! heu levitatem! heu credulitatem! heu fidem! dormióne an vigilo? ah vigilo! sũntne hæ literæ? non sunt, non sunt, heu mihi sunt, sed spectrum scripsit. Labella non scripsit. Labella fidelior est, heu scelesta Labella! egóne visus sum tibi, quẽ simulato amore occideres? qui submergeretur lacrymis? suffocaretur suspiriis? cõflagraret artificioso igne? O mores, ô puellarum retia! H. Vísne maledicã mulieribus? T. Amove te. H. Quid? deplumari? emere aliis gaudia: ire in crucem. T. Vah Turbo, Turbo, quis oculos tibi obsignavit, ne animadverteres amicum latrocinium? O Labella, quid cogito, malé sit mihi, tuum pectus tam candidum, tam calidum, non habet has atras maculas, hanc gelidam

gla-

glaciem. Ego, ego deceptus sum, tu non decepisti. Quid non decepisti? Ecce literas, manum, sigillum, terram peregrinam, mores alios. Quid hæsitas Turbo, & effundis maledictorũ mare? Sed heu, heu, heu mihi! væ misero mihi. H. Si ita pergas, & tuas impedis nuptias, & quod caput est rei, meas. T. Non ego me vindicabo, & quod apis læsa potest, non potero? Gaudebitne illa semper in gẽtis meæ opprobrium? Non gaudebit, & quod bona mea fortuna detectum est mihi, id malâ eius, exibit in caput scelestum. H. Non ergo prandebimus? T. Abi. H. Atqui ego prædixi his, futurum ut prandere T. Deum provoco iratum mihi, si &c. H. Ille abiit. Hæc sunt amoris donaria, mihi quidem hactenus dum amavi jucundum nihil fuit, nisi ineptia. Sed ibi jã sum, vbi progredi, & regredi eadem via est, ejusdem longitudinis. Ego quid agam nescio, quidve mihi eligendum. Abstinuisse præstitisset, sed quod semel factum est, quî corrigam?

Con-

Consulite in medium, dubijsq; occurrite rebus.
Ego interim abscedo.

SCENA V.

Labella. Rubella. Harleq.

QVidicam, aut cogitem, quod Turbo nuspiam est? R. Id quidem haud crediderim, saltem tecum non est. L. Nescis tu? *amantium corda locus sunt, ubi amantes animæ habitant ubi si nō sunt, nuspiam sunt.* R. Monstra mihi ergo Turbonem, si intra te geris. L. Vtinam possem, Intuereris Regem, qui totus ac plenè imperat, & membris meis, & affectibus, & cogitationibus. R. Non video. L. Ah suavis idea est. quæ pervolitat corpus meum, deliciis, facetiis, gratiis. R. Equidem verè amas? L. O Rubella cum vincéris aliquando ab Amore, nunc hanc linguam intelliges, jā verò nec credere potes, nec ego ausim id à te exigere. H. Hactenus quidē in vita tale nihil sensi: & me-

Vis amoris.

memini quàm olim ipsa, securè simul, ac imperitè de amore sim prolocuta. Emigrare scilicet oportet omnia reliqua, ubi amor ingreditur; ille occupat, ille jubet, ille impellit, nunquam cohibetur. R. Quid? etiam arbitrii libertatem adimit? L. Vah, arbitrium, ubi homo se exuit, ut induat alterum, nec Dominum amplius agnoscit, nisi amicum. R. Hera ecce literulas. T. Tolle. R. Accipe. L. O Turbo est, jam ero certior, ubi deliteat, hem; itane? Vah, nihil agis, solidior sum, quàm me hoc tentamine dejicias. Hem! quid illi venit in mentem? non sic agier oportet inter amantes. R. Quid est? L. Turbo lusit, sed aliquantum agrestius, nolim in alienas manus venissent. R. Itane? L. Simulat se simulare amorem. R. Fortassis! L. Inepta, non potest, totus mihi patet, sed secutus est malum consultorem. Vah astutias hominum, itáne adeò invisus est constans ac fidelis amor sceleratis. R. Quæramne eum? L. Nó, fingam enim me offensam esse ipsius imprudentiâ. R. Non verò tangeris? L.

Ego

Ego? ah omnes humanæ vires imbecilliores sunt, quàm nos dividant. R. Me verò malè habent hæ literæ: aliud promerebatur candor tuus. L. Ecce Harlequinum, ab eo sciam quid Turboni meo acciderit. H. holla belles dames, habetisne literas? L. Habeo. H. Benè est. ita voluit herus meus, ut resorberetis vestrum vomitum, veneficæ, sacrilegæ, scorta, perfidæ. L. Quid hic ait? H. Euge Heri mei pulcellam Conjugem, meam heram, bellum Turbonis coemptum mercimoniũ! L. Tene me. H. Depone fraudes. Nam desierunt tibi esse utiles. R. Impurum os, latro, hominum excrementũ, unde tibi hæc lingua maledicta? H. Satis est. Ipsa Fortuna vos prodidit, ne exequeremini vestram malitiam. L. Ah me miseram! H. Tum eris, cum Turbo effundet iram suam, quam bono consilio habet conceptam. L. Nisi me conjecturæ fallunt imminet nobis prægrande malum. H. Mihi quidem id aperire non licet, quia Herus prohibuit, sed hac nocte

à Tur-

à Turbone vapulabis. L. Vapulabo? Nescio ubi sim, heus Rubella. R. Quid est? L. In aurem aliquid. H. ha ha, consultate; erit ubi pænitebit provocatam Harlequini iram. L. Quid cogitabo? hic scelestus nescio quid meditetur. R. Salva res est, non invenient imparatas. L. Heu! quàm conflictatur Amor meus cum tanti facinoris odio. R. Domi, si placet, hæc mitius discutientur. L. Fiat ita.

SCENA VI.

Turbo. Famulus. Harleq. Alexius. Brandon. Aliqui.

T. SIc agendum est, credo tibi. Fortuna invisa, ac meis partibus semper adversa, sed vel fugiens referiam. Egóne dicar delusus, & ut fæmine planctu saltem vindicabo injuriam? Sed dissimulatione opus est, contra simulantem. Tu puer, jam equi dispositi sunt? F. sunt. T. Et Harlequinus ubi? F. Res suas colligit. T. Tum valedicendum est scelestæ,

ut optet nunquam fuisse se salutatam. Nã ubi primum admissus ero, auferam, quæ videbuntur, ac cum verberibus dimittam. Audax mehercle consilium, & germanum, sed tectum est, & ad exemplum illius, Harlequin verò ubi? F. Harlequin. H. Adsum, adsum. T. Quid moraris? H. Quia non lubet illuc ire. T. Non? H. Non ædepol. T. Non te offendit illa, non vindicabis? H. Certè, sed vellem pro me alius quispiam iret, latis humeris, fortia manibus, pedibus celer. T. Vah, ad fœminam ire trepidas? H. At illa jam ungues exacuit. T. Eamus. H. Heu Turbo, tu turbabis omnino, quæ turbata nondum sunt. T. Eundum est. Tic, toc: Aliqui: Quis pulsat? T. Aperi. H. Mallem clausum. T. Ego sum. Al. Nemo domi est. H. Vtinam! T. Mentiris. Tic, toc, tac. Al. Quid tu tibi vis? H. Rem malam. T. Quin tu aperis? Tic, toc, tac. Al. Orant te qui hic sunt, ut quamprimum discedas. T. Vah impudentiam! quos ego amicè volo conventos, ita excludunt. H. Benigni sunt: Turbo,

Verbera accipit Turbo.

abeamus. T. Non feram. Tic, toc, tac, Aliq: Abi. Ha abeamus. T. Non faciam.

prosiliunt aliquot homines.

A. Quid tibi juris est, impure homo, in has fores, ut hac violentia ferias. H. Heu Turbo, id est, quod dixi. T. Te quidem ego haud quæsivi. H. Sed reperisti. A. Tune huc accedas scelesto animo, ut nostræ urbis virginibus dedecus adferas? H. Imo adferebamus munuscula. A. Quæ tu arma habes sub veste recōdita, itáne amatur? T. Quid mihi tecum est? A. Et quid tibi cū virgine est, meâ cognatâ? T. Abeamus Harlequin. H. Si huic placeat. A. Verberate scelestum, tundite, rapite. T. Perii. H. Hu, hu, hu, hu, A. Vapula nebulo, qui insontibus es malè minatus. T. Heu mihi! H. Turbo, nonne heu mihi! B. Vapula ob literulas. T. Vah. A. Vapula ob infidelitatem. T. Ah! B. Vapula ob tecta arma. T. Væ mihi. Al. Vapula propter contemptum nostrum. T. Heu. H. Satis est, meo judicio. A. Vapula, quia peregrinus es. Al. Vapula, quia sciolus es. B. Vapula etiam meo nomine. A. At meo.

B. Et

B. Et alterius cujusdam. A. dimittite verberonem, ut quamprimum hinc discedat. H. Id quidem promptius faciet, quàm hîc manebit diutiùs. Valete. B. In crucē malā, scelestè. T. Ibi jam sum. A. Sic dabitur, si quis nostris puellis posthac insidiabitur. B. Intra citò, ne quis motus oboriatur.

HERMAPHRODITVS.

Tertii Interscenii causa productus.

Hermaphroditus, Postillus, Licentius, Varius, Securus, Thraso, Lector, Satellites.

Her. QVid ego dicam esse, quòd cum admiratione me intuemini, Amici, fratres, Hospites, filii, Vasalli, servi mei? An quia rarò in publicum prodeo, & in tenebris potiùs vobiscum conversor? An quod metuitis, ne quid vel mihi, vel vobis, ex tā apertā imperii mei jactatione, suboriatur invidiæ. Ego verò vos, quicunque mei estis, securos esse jubeo, posteaq̄

id adepti ſumus tempus, quo non clanculum ſententiam noſtram fovere oportet, ſed palàm illis, qui etiam veteri ſive ruſticitati, ſive ſuperſtitioni adhærent, dominari licet. Sum enim, ſi qui neſcitis, Hermaphroditus, Rex, vel Regina, ſicubi libuerit, ævi hujus Princeps, voluptatis proles, orbis delitiæ. Quid muſſitatis? vires viriles, elegantias muliebres, maſculum pectus, cerebrum fæmineum, fortes manus, linguam delicatam. Ego unus, una. Ille, illa conjuncti. Huncque adeo diem meis indixi, quo privilegia, quibus præ reliquis ego meos dono, atq; orno, læti exaudiant, cæteriſq; qui nondum ſceptrum hoc meum adorant, animum accedendi faciant. Vos igitur, qui ex omnibus vitæ ordinibus legati adeſtis, ſilentes atq; attétis animis ea excipite. Poſt. Ego Poſtillus tibi Rex Reginaque, Sacri ordinis nomine omnem attentionem ſpondeo. Li. Ego Licentius, Magne Magna imperans, Reipublicę loco debitam obedientiā promitto. Var. Ego Varius, inclute inclita dominans, ſub vulgi perſona infinitam

ſub-

subiectionem voveo. Se. Ego Securus Aulam tibi, ævi biformis potēs Princeps, officiosam spondeo. Thra. Ego denique Thraso militum nomine Majestati tuæ fidem interpono. Her. Felicem ego hunc diem dico, quo apertè id cōfitemini, quod de vobis quidam suspitiosi hactenus mussitârunt. Audite ergo, quibus ego vitæ cōmoditatibus omnes vos ornatos velim. Ea lector noster recitabit.

Lect. *Hermaphroditus*, Fortunæ gratiâ Princeps Gomorrhicus, Imperator impudicissimus, cogitantes nostrorum numerum hoc accommodo seculo adaugere, bonorumq; potentiam frangere, nihil aptius reperimus, quā immunitates illorum multiplicando, ad humanæ vitæ maiores commoditates ampliùs accommodare. Id quod his literis notum facimus, quarum tenor hic est.

De Sacro Ordine.

1. Principio literas omnes, qualescunq; sint, sacrosanctas & inviolabiles facimus, cunctisq; qui eas tractabunt, Eruditorum nomen tribuimus, dum tardè, sumptuose,

voluptuariè eas tractent, nec rei facilitatem in vulgus emanare sinant.

2. Religionem, qualis ea, cujusq; terræ, veram statuimus, & in doctorum verba jurare jubemus, nec tamen tacitam cuiq; fidem interdicimus.

3. Dignitates, titulos, & honorum gradus strictissimè observatos volumus, & ad eosdem omnes liberales, liberaliter provocamus.

4. Verba quidem sacra, philosophica, germana non prohibemus, sed à factis talibus, omninò absolvimus.

¶ Omnes qui adversum senserint, exagitare, excommunicare, cōdemnare persequi, permittimus, vel sanè Christianam charitatem denegamus.

6. Omnibus rebus, etiam alienis, interesse, & præesse volumus, repugnantibusque gravem vindictam minamur.

7. Divos facere divites, vulgus negligere, sub Christi persona sua petere, sed & aaliena pro sacris adferre licitum esto.

8. Libros in pompā habere, eos imprimis, qui virulentissimè homines perstringunt, admodum laudabimus.

9. Deniq; supremam sessionem, primũ votum, delicatissimũ bolum, felicissimum otium, & securissimũ locum his unis seriò & graviter assignamus, attribuimus.

De Politico Ordine.

1. Politicis licebit potius novas Rerum-publicarum formas confingere, quàm veteribus bonis benè præesse.

2. Hominum mores, & ingredientia vitia observare, nimis curiosum est, itaq: ea saltem, quæ planè intolerabilia sunt, lentè amovere, consultius est.

3. Si quis vel sua pessimè absumit, vel suis cõsulit iniquissimè, usq; ad extremã, & infamem pauperem, sibi absq; reprehensione relinquitor.

4. Odiosa etiam vitiorum nomina tollimus, & ebrietatẽ, hilaritudinẽ, blasphemias, severitatẽ; Adulteria, publicã charitatẽ, furtum, Oeconomiam; Avaritiam, Parsimoniam; Tyrannidem, Iustitiam; Otium, Tranquillitatem publicè vocamus.

5. Tales qui erunt, certi & boni cives; qui non erunt, suspecti, fanatici, hæretici, turbatores, indeq; undiq; impediti sunto.

6. Licebit etiam domesticos adiutores habere, eosq; qui tales aluerũt, Nobili scuto, & depicto cucullo honoratos volumus.

7. Si quid judicandum erit, nõ ad rationem, vel causas adigimus, sed ut ex eventu commodius faciant, permittimus.

8. Dona nequaquam recipere prohibemus, sed petere, atq; extorquere seriò & graviter jubemus.

9. Si quid princeps, vel superior Magistratus jusserit, per hos stabit, fiatne an impediatur.

De Plebeio Ordine.

1. Vt ingenio valeãt nostri, omnes astutiarum, captionum, fallaciarum, deceptionum formas admittimus, & privilegiamus.

2. Quisquis poterit, otiabitur, quod liberi hominis est, sin per se non poterit, ab alio dependeto.

3. Parvo emere, magno vendere, artis est, atque imprimis annonæ caritatem observare, hominis solertissimi.

4. Ne Charitas unquam remittat, magis

gis placet promiſcuus amor, ſed cautus, quàm conjugalis.

5 Veſtium formas hautquaquam præſcribimus, ſed in varietate, corporis repreſentatione, ac colorum mirâ diſtributione ingenium admiramur.

6. Cibos etiam in noſtris, quàm aliis delicatiores volumus, ac quod maximè noſtrâ refert, calidiores.

7. Sed cave quiſquam liberos ſolicitè educet, Sic enim ingenii nobilitas frangitur.

8. Qui curioſas, chymicas, jocularias, hyſtrionicas, ſaltatorias Artes quæſiverit, exercuerit, foverit, magni pretii nobis eſto.

9. Qui diſcurrendo, ſtudendo, amando, bibendo, ludendo, conflictando, ſua liberaliter inſumſerit, ex publico lautiſſimè alitor.

De Aulico Ordine.

1 Hunc ordinem à pudore, Amicitiâ vulgari, & legibus propè omnibus, niſi cùm erit commodum, ſolenniter liberamus, & honorabilem omnibus facimus.

2. Hinc linguã, vestitum, literas, studia, mores omnino à reliquis hominib. alios habebit, & libertate suâ gaudebit insigniter.

3. Si quid est cum inferioribus tractandum, fiat aut cõtemptim, aut cum masculis juramẽtis, aut cum artificiosis aculeis, aut cum duplici, & lascivo intellectu, aut cum sacri verbi injuriâ.

4. His tamen virginum nostrarum curam committimus, quas instruant, foveant, adaugeant, & amorum administris subinde alias sibi concilient.

5. Eruditio nulla sit, nisi ea, quæ miseros Magistellos exagitare, Amoris artes explicare possit.

6. Historia nulla sit, nisi ꝓpriorum factorũ vel ficta, vel crepera, vel turpis recitatio.

7. Servitium Principale sit adulari, approbare, & manus cuique executioni prõpte præbere.

8. Cultus divinus nullus sit, nisi qui Amori, Curiositati, & religiosorum contẽptui inserviat.

9. Denique multa promittere, nemini

verò

verò nisi voluptatum administris, socijq; benignũ esse, atq; cum multarum injuriâ omnia permiscere, ut licitum, ita gloriosum esto.

De Militari Ordine.

1. Militibus primùm omnium, de fortissimo & inexpugnabili loco volumus prospectum, quem illi tamen, si victus non abundè sit, retinere non cogantur.

2. Potius dum ibi erunt cives, eorum uxores, filias, ac famulas possidebũt, & tuebuntur securissimè.

3. Sin omninò bellum habendum est, civile equidẽ, quàm extraneum malumus, sumptuum causa.

4. Ibi, ne otiosi sint, vel Respublica imminuatur, ludent, & Martiale seminarium instituent.

5. Sub tentoriis vivere, barbarum est, itaque vicinorum amicorum pagos iis assignamus.

6 Qui milites esse voluerint, sex hominum sunto, cautè tamen ambulanto, & ne ab hoste tangantur, videntò.

7. Deum in ore, manus in alienis loculis,

corpus post murum, pedes in recursu, linguam in poculis frequétissime habento.

8. Provocationes crebras, congressus nullos, audacia proposita, cauta subterfugia, multa latrocinia, plurima mendacia, deniq; magnifica trophæa undiq; habento faciunto.

6. Ducibus annum quatuordecim mésium, solutionem Mercatoribus flebilem, stationem omnibus intolerabilem facere, licitum esto.

Hæc sunt privilegia, quib. inclytus ordo noster posthac gaudebit, & sub Magni-Magnæ Principis nostri-nostræ imperio beatissime vivet. quæ etiam vobis tueri, ac quoties opus est adaugere, magno jurejurando se obstringit. H. Faciam sic me Vertumnus, Proteus, Polypus, Chamæleon adjuvet. Omnes.

Vivat vivat vivat
Magnus-Magna
Hermaphroditus.

AC-

ACTVS QVARTI.

SCENA I.

Chymicq. Usurer.

Harlequin. Beger.

SInescitis, rediimus domum, cum insigni illo, quod vidistis, viatico: jam omnes circumstant. Ho! Harlequin Salve, salve Harlequin, gratulor de reditu; profectò exeundum mihi domo fuit, ut liceret vobiscum colloqui, qui laboris mei, & itinerum, & periculorum estis testes. Hola Harlequin quid tibi videtur de Lutetia? est ne ampla? estne lutosa? an homines ibi multi sunt? Nugæ, nec libet respondere, non benè ibi habui. Iam etiam examināt; inspexisti Castella? quæ hîc, aut ibi Respublica? quæ leges? qui hominum mores? q̃ studia? Vah quid dicam? homines ubique pessimi sunt, ac ineptissimi. Missum me facite, non licuit mihi ibi curiosum esse; egi, quæ hîc ago, vidi, quæ hic video. Mundus alter & idem est, nisi quod ibi carius vivitur, & miserius, & scelestiùs. Harle-

(De Chymia.)

quin q̃d apportas mihi? ecquid emisti rari? apage, nihil insoliti, pręter scabiẽ habeo, & mentẽ meticulosam; ita toties exterrefactus sum. Sed Turbo omniũ pessimè habet, nam ubi primũ prima salutatio deferbuit, jam omnes inquirunt, & examinant, an benè tot nummos insũserit. Scelesti homines plus scire volũt, q̃ nos, & ubiq; nobis vrbes describũt. Metuo ne clandestinũ ibi fuerint. Sed novũ, Turbo meus totus ignitus factus est, & ædes habet omninò ardẽtes, flat, sufflat, inflat, pflat, spirat, ac fumigat, non secus ac ipse Diabolus. Sed Præceptorẽ habet, longè fuliginosiorẽ. Ex averno oportet esse. Nã qui multas linguas loquor, ac intelligo, non tamen ipsum capio. Characteres habet inusitatos, uti Chinenses, & imaginibus pingit, uti Ægyptii, & per numeros loquitur, uti Arabes, & vocabula monstrosa habet, Azoth. Martek, Kuhul, Alkibric, Zandarich, Muhal, anne intelligitis? non dubito, quin Diabolorum nomina sint: Sed ecce illum ipsum, vos audietis nostrum eruditum colloquium. *Quid non mortalia pectora cogis,*

——— Auri sacra fames!

Holla heus Auri-Pater! B Lapis iste est diversus ab omnib. lapidib. in naturis suis, & perfectione sua, & susceptione nutriméti, quia est de semine Mundi, multam habens benedictionē. H. Heus flabellū. B. Nisi aurum ponas in aurum, nihil habes, quoniā magnum non est in parvo. H. Ecce Ecstaticum, adeò occalluit hoc hominum genus, vt nisi verbera addantur, verba nō curent. B. Visitetis interiora terræ, rectificādo invenietis occultum lapidē, verā medicinā. H. Hem tibi fornicator! B Quid tu tibi vis bestia? H. Vt vivit Mirjam, Mosis soror. B. Quid? H. Aut mulieres quid operantur? B. Pecus. H. Et pueri ànne ludunt? B. Vnde tibi hi sarcasmi? H. Et illa turba, quid turbidi turbat? B. Sceleste, tu omninò mihi interturbâsti subtilissimum processum, qui absq; dubio imposuisset meis quæsitis finē. H. Procede, procede à processu chymico, ad processum fori, donec procedas ad patibulum. B. Abi putamen. Vah, cum Rex meus satislotus, satis purgatus, & cōtus satis, cū Regina habebit nuptias, quam ubique subsilient procreati mille milleni minuti Reguli? Sed Draco ille! hem. H.

Illêne, qui vitra tibi omnia confringit, & vasa diminuit, & fornaces dirumpit, & cerebrum evacuat? B. Quin tu ad tua abis? mihi id curæ erit. H. Hem lixa, quando elixabis elixir. B. Scelesta lingua. H. Vis ne insignem rythmum de Alchymia?

Illa est Ars sine Arte,
Cuius summa pars cum parte.
Cuius Mater Otiari,
Cuius verba sunt nugari.
Cuius votum denigrari,
Cuius fama annotari.
Cuius proba est mentiri,
Cuius via impediri.
Cuius labor est inflare,
Cuius fructus mendicare.
Cuius finis desperare,
Cuius merces nusquam stare.
Cuius pœna est perire,
Et in cruce interire.

Ha ha ha! habésne aliquid in Laudamus? B. Tace, H. Aut in Azoth. B. Tace. H. Aut in sylvestrem pœnacéam. B. Tace. H. Sed in Geberianos, qui dari sibi

ſibi volunt, non dant : nihil dant, omnia auferunt, ut fiant divites. B. Vale, mihi non vacat tuis ad eſſe ineptiis. H. Heus cum ſuperius erit ſicut inferius, & inferius ſicut ſuperius, perpetrabuntur miracula rei unius, habebiſq; non lapidem, ſed prægrandem petram. B. Hæc Ars eſt cara, brevis, levis, quoq; rara. H. Ille abiit, ſpectatores. Cùm hunc hominem intueor, videor mihi ſapere, nec credidi poſſe aliam addi inſano Turboni colophonem niſi hunc; hoc furoris faſtigium eſt, reſipiet, hactenus aſcendit, jam deſcendẽdum eſt. Ecce tam anile & ridiculum nihil eſt, quod non credat, & mox veluti adfuerit ipſe, juramento confirmat, nihil tã ſordidum, tam periculoſum eſt, quod non tentet, nihil tam laborioſum & inquinatũ, quod non ſubeat, nihil tam impoſſibile, quod non ſperet, Quid ego dicam? uno verbo. Turbo meus Chymicus eſt.

SCENA

De Processu Chymico.

SCENA II.

Turbo, Beger.

T. NVnquámne animo quiescam meo, & per tot quæsita non reperiã quietem? Nam quam nunc tracto artem, Chymiam, etsi jucunda est, & nescio quâ sublimitate Amatores suos detinet, ita reperio laboriosam, & à fortuna pendentem, vt nihil suprà. Beger meus per omne Diabolos jurat, processum suum optimũ esse, expeditissimum, ac sæpiùs ab ipso probatum. Et credibile est: nam rationibus me vincit, & tantas colorum transformationes mihi monstrat, vt nũc securè artis cõtemptores rideam. Sed tamẽ trium annorum opus est, si maximè fortuna etiam arrideat, alioquin si vasa dirũpat, quod nunc aliquoties mihi fecit, differre potest felicitatem meam, non auferre. Ille meus nihil nisi labores habet, unde concludo, meam illum commoditatem quærere. Sed sumptus profectò nõnullos exigit. quid tum? serendum est, ut metas, tentandum est aliquid

quid Iasoni, ut auferat aureum vellus, tendenda retia, ut capiatur Leo viridis, Cervus fugitivus, aquila volans, stultus saltãs, Draco caudã absumens, bufo inflatus, Caput Cervi, nigro nigrius nigrum, sigillum Hermetis, & lutũ stultitiæ. B. Vbi Turbo? T. Ecce Naturæ obstetricem, Metallorum Patrem, Auri genitorem, Sapientiæ & doctrinæ filium, Mercurii Nepotulum. B. Hem Turbo ubi? T. Me quærit, holla amice! B. Ha! te quærito. T. Me? B. Te, ut mero te gaudio suffundam. T. Effer, si labores nobis successerunt. B. Aliud est. T. Quid hic habes? B. Aureas literas. T. Lege obsecro. B. gaude prius. T. Gaudeo, ut semper, sed lege. B. Vide, quàm tecũ cõmunicẽ omnia arcana mea. T. Scio. B. Et quas ego solus possẽ possidere opes, tecũ divido. T. Laudo te. B Hic ex amicis meis arctiorib. quidam scribit rem, unde meritõ exultemus. T. gestio. B. Audi. Fuit Monachus quidã in sylva sansbois Chimerõ vocatus. T. Nunq̃ audiui nomẽ. B. Ho! celeberrimus est, sed audi, ibi exstruxit minutulã casulam, luto Sapientiæ. T. Quo fine?

Secreta Secretissa.

fine? B. Vah! is conficere poterat lapidem nostrum benedictũ, & sigillis omnia præstabat, & per specula omnia videbat, & herbas & fructus mediâ hyeme proferebat, & cum animalibus colloquebatur, & exiguo tempore per Mundum universum divagabatur. T. Papæ! B. Amplius, penetrabat montes, tanquam aerem, & ad fundũ maris nonnunquam descendebat, & in igne versabatur, & ad astra usque se conferebat, utebatur hoc Mundo, tanquã suo. T. Obstupesco. B. Quin etiam integros exercitus delere, & cui vellet, nocere, & cum absentibus colloqui poterat. T. Enecas me. B. Is jam mortuus est, T. Quî potuit? B. Voluit, alioquin vixisset mille annos, jam verò nobis patent omnia eius, & universa Artis hæreditas. T. Nobis? B. Nobis. T. Tum ego non malè insumsi, quicquid insumsi, B. Vah! insumpsi? nihil tibi quærendũ fuit, nihil in Sapientiæ labyrinthis errandum, artem repertam hactenus examinâsti, & ab ipso examine paulò post habebis largissimum salarium. Ecce nos immisimus

furno

Bossen.

furno 15. ducatos. T. Ita. B. Iam uti spero prodibunt 45. T. Benè. B. Idque spatio unius Mensis, si fors adsit. T. Scio, vasa nî pereant. B. Iam altero mense immitte 45. & habebis. 135. T. Benè B. Tertio Mense habebis 405. T. Euge B. Quarto. 1215. T. Optimè. B. Quinto 3635. T. Rex sum. B. Imò amplius, vide, sexto mense habebis 10895. T. Quæso in anno quantum? B. Vix ausim proferre. 7939745. ducatorum. T. Vah! Quis Regum tantum tollit ex multis Regnis. 7 Millionen und schier zehenthalben tonnen Golds. B. Iam vitæ, si primâ immissione fuisses audacior, nemo tibi in terris fuisset æqualis. T. Ego acquiesco hoc anno, in sequentem annum sciam, quid faciendum mihi sit. B. Sed pessimum est, quòd tantas opes possidere non licet, nec satis edere, nec benè vestitum esse. T. Quid ita? num metu hominum? B. Minimum est, ipsa Ars hominem deserit, qui non semper alget, & esurit, & pedibus tumet, & fuligine sordet, & macie horret, & laqueum quærit.

T. Quid

Mores Chymicorum miseri.

T. Quid ita ? B. Sic volunt astra, ut qui ditissimi sunt, pauperrimi appareant, sitq; Chymicus, qui

ex alta mortales despicit arce.

Interim Artis tãta dulcedo est, ut facilimè vincat voluptates omnes Mundi, & huic Mundo cogitatione, non secus, quã Reges manu imperant. T. Profectò miserum est, hanc arte velut serpẽtem esse, cujus caput pulcrũ, sed cauda deformis est. Sed nos intermittimus negotiũ Monachi. B. Benè mones. Is tandẽ omnem artem suam contulit in unguẽtum. T. Vnguentum ? B. Ita, sed mira audies. Quisquis sibi tempora inungit, & nasum hoc unguẽto, videt in aere omnia, quæ vult. T. Quid in Aere videat ? B. Vah! Aer vacuus nõ est, sed velut muscæ aut apũ examen circumvolant spiritus, & Animæ, & Ideę, & quicquid ubiq; est miri. Nec impedit nobis hoc iucũdũ spectaculum quidquã, nisi oculorum lippitudo. Ea amovenda est hoc collyrio. T. Mira sunt, sed quid juvabit aspectus. B. Ha simplex! alloquendi sunt, atq; ex tãto numero provocandi, quos libuerit. Nam si fortitudo dele-

Vnguẽtum Chym.

Virtes sunt evocandae ex dere.

delectat, adjumento spiritus, evelles arbores, effringes ferreas portas, conculcabis Exercitus. Sin Sapiétia omnia scies, & linguis omnib. loqueris, & libros jã è hominũ memoria deletos revocabis. Sin opes, nihil habebit Natura tibi occultatum. De reliquis idẽ cogita. De Honore, Pulchritudine, Lõgævitate; electio tua est. T. Habesne hoc unguentum. B. Fortassis, sed tu nescis, quanta in me possideas. T. Amo te. B. Tantum potest repus rebus debitum, & cœlica influxio. T. Crediderim. B. Sanè præ rebus omnib. nobis opus est Calédario. T. Jam habeo. B. Phy. Nihil est, oportet Calédariũ esse mysticum, quod nos admoneat quotidiè operationis arcanæ. Nã cũ Cælo laborandũ est. T. Sed unde à Monacho ad te hæc derivata sunt? B. Euge Monachũ mihi in mẽtẽ revocas. Is per lusum cõfecit ollam plenã tincturæ ad 15. libras. T. Quid? B. Ecce partẽ, sed ꝙ dolendũ est, prius obiit, q̃ perfecit. T. Quid properavit, cũ licuisset differre? B. voluit anno Iubileo mori, atq; die natali. T. Sed hæc tinctura jã nihil est? B. Nequaq̃: nam exiguũ ei de-

Cal. mysticu.

De Tinctura.

ei deeſt, quod ego facillimè addam, tu poſſes, tantulum eſt. T. Quid ergo addam? B. Hic locus non ſatis tutus mihi videtur. Eamus in laboratorium noſtrum, ibi & hæc ſcies, & integram hiſtoriam. T. Eamus quamprimum.

SCENA III.

Harleq. Famulus. Chymicus. Turbo.

H. VT te ſceleſte ſcelus millies milleni ſexcenti, & nonaginta quatuor Dæmones abripiant, ſceleratiſſime Ciniflo, qui ætatem meam qua requieſcere deceret, igne, fumo, flatibus, & ſordibus abſumis. Ha! quod vobiſcum non fui, commodum non fuit, Interea ego miſer calcinavi, ſublimavi, ſolvi, putrefeci, deſtillavi, coagulavi, tinxi. Non ſunt inferis tot ſpecies tormentorum, quot ego habui laborum genera. Puer. F. Quid? H. Adesdum, paucis te volo. Vah! hominem olim tàm bellum, tam jucundum! jam quanta tulit fecitque puer, ſudavit & adſit.

Cre-

Chymicorũ labores.

Credo vacuum jam intus esse, adeò spiritum omnem efflavit. F. Ita Herus jubet. H. Ita insania jubet, An ego tibi frustrà Præceptor datus sum, & patiar perire tàm nobile ingenium? F. Quid faciam ornatissime Dn. Præceptor? H. Sic places, sic fieri decet. Exempla videtis Messieurs perfecti Præceptoris, & ex acti discipuli. F. Colende Præceptor, rogo veniam exeũdi mictum. H. Exspecta, paulò post ibimus unà F. Colende Præceptor, rogo veniam eundi sufflatum. H. Exspecta, paulò pòst sufflabimus unà. Messieurs tanta mea cura est hujus pueri, ut nũquam solum quid agere sinam, semper adsim, semper opem feram, sic decet. F. Colende Dn. Præceptor hìc sussla prior. H. Scelestè puer, iam peribis. Hem Nebulo! non ego te apprehendam. F. Jam verberandi tempus non est. H. Exspecta, ego tibi manibus faciam stratum super stratum. T. Apagite stulti. Quid vos hìc? ad labores, intrò velocissimè. Annon ego mortalium, qui vixit, qui vivit, qui vivet, felicissimus? ha! nõ contineo me, quin subsiliam. Quis est,

Beatitudo { Chymici, Opes

cui uno tempore tantæ ac tot contigerunt opes, Sapientia, Felicitas. Illud est, quod semper appetii, propter ꝗ animus meus nuspiam subsistere, acquiescere nuspiam potuit. Huic reservabar gaudio, hanc mihi fata parabant gloriam. Quid dicam? aurum facio, quâ volo quantitate, minimũ est: morbos pello omnes, & perpetuâ sanitate vigeo, minus est. Naturæ sinus omnes recludam. Nam clavem hîc habeo, & inspicio hominibus abscondita, parvum est. Sed quod huic orbi dominabor, & cum aereis conversabor, & superiorum corporum aut hospes ero, aut incola, denique magnum est. Mirum est, hunc mihi esse hominẽ conciliatum, qui nihil nõ arcani mecum dividit. Nunc præmisi illum ad Chimeronis hæreditatem, cum aliquot centenis coronatis. Ille mihi reliquit pixidem plenam tincturæ, thesaurum inexplicabilem. Hæc est illa hora, quâ me video majorem, quàm ut fortuna ampliùs jactet, aut turbæ turbent Turbonem. Evax! Sede Turbo in solio tuo, & conscẽde Felicitatis thronum, & contemplare re-

pen-

pentes circum te animas, despice eos, qui te despexerunt; ride, qui te riserunt, ha, ha, ha, he! rides me, magis rideo te, spernis me, magis sperno te. Domum eundum est, ut contempler opes meas.

SCENA IV.

Prudentius, Fabius, Harleq. Haspellus.

P. EGo quidem de eo semper plura, vel sanè alia sperarem. F. Nescio equidé, quid mihi judicandum, illud quidem animadverti jam dudum, in ipso esse ingenium vagabundum, curiosum, & malitiosum, quę sanè tria videntur mihi illum hactenus exagitâsse, & hos construxisse ei labyrinthos. P. Sed interim errorum crassitié miror, illumq; iis demersum, cũ alioquin in dijudicãdis rebus haut sit ineptus. F. fortè quia sibi relictus est semper, nec habuit amicum fidelem, imprudens in sua retia incidit. P. Ah longe erras; plus millies avocatus, admonitus, & ad plenam insidiarum detectionem admissus est. sed id habent curiosæ artes proprium,

ut amicum amplius nullum agnoſcāt, ne-
minem audiant,& quos prius habuerunt
conjunctiſsimos,fugiant. F. Verùm ipſæ
fallaciæ ingenioſæ haut ſunt, & plerunq;
pueris & plebi ridiculæ, tum hiſtoriolæ i-
pſorũ uſq; adeò aniles,uſq; adeò incredibi
les ſunt,ut mirum ſit,hominẽ tantum ce-
rebri ſanioris, illis poſſe circumduci. P.
Ego morbum judico, & rem plurimâ cõ-
miſeratione dignam. F. Unde rerum in-
certarum,quibus torquẽtur, catena,& in-
finita ſomniantium deliria? P. Meo judi-
cio,ex cõtemptu omnis conſuetę literatu-
ræ,& fictitia illa clave,quâ alio longè mo-
do Naturam rerum aperire ſatagunt. F.
Ecce Harlequinum alterum Mercurium,
ex eo reſciſcemus domus artificioſæ arca-
na. P. Ingenioſiſſime Harlequin. F. Au-
ree Harlequin. H. Non vacat. P. Obſe-
cro Harlequin. H. Magnum eſt, quod vo-
luto. P. Ornatiſſime Domine Magiſter
Harlequin,quæſo ne deneges nobis tuum
colloquium. H. In forum mihi eundum
eſt. F. Quid acturus? H. Cretæ mihi e-
mendæ ſunt octo libræ. P. Quid cretæ? H.
Vah!

Vah! ad computādum diem novissimum. F. Hem illud erat, sapis. H. Ergo mittite, sed heus! P. Quid est? H. Pictore mihi opus est. F. Ad pingendos numeros. H. Inepte. Serpētes mihi pingat, & Cerastes, & Behemoth, & Menethekel, & Rutubā, & coronas, & quindecim Hierosolymas. P. O Harlequin, quàm jam sublimis es scientiâ! H. Sic decet, & Naometria id secū adfert. F. Quæso intus quid rerum geritur? H. Omnes computant quolibet angulo, per cruces, per armillas per angulos, per soles, per lunas, per serpentes, per circulos, per angelos volantes, per coronas, per columnas, per candelabrum, per librā, per arbores, per gladios, per laqueos, per dētes, per cometas, per ova, per pisces, per rubos, per clibanos, per mitras, per cuspides, per 7. foramina, per lagenas, per Aquilas, & Leones. Sed me jam dimittite. P. Si placet, Harlequin, nobis benefacere, subsiste aliquantulum. H. Sed non licet F. Saltem dic nobis, quid computatis? H. Scripturæ dicta. P. Ha, h, he! H. Tu rides, Asine? Valete. F. Tu offendisti homi-

nem. T. Non putarã, ſed quid conjicis, illos agitare? P. An neſcis? F. Equidẽ. P. Hæc illa Naõmetria eſt, de qua tibi nuper illud humani ingenii admirabile. F. Quid quærit? P. Miram temporum triplicitatem, & typum rerum præteritarum triplicem. F. Quâ harmonia. P. Illi viderint, mihi vix licuit numerorum aliquot appellationes exaudire. F. Habéntne alia nomina? P. Omninò, nam beſtiæ certus numerus eſt, & ſacrificioſus; & Sabatizantes ſunt, ac Hieroſolymitani, & clavis Davidica. Vlterius in adyta eorum admiſſus non ſum. F. Verum his numeris, quid extruunt? P. Papæ ruinam, Eccleſiæ reſpirationem; Bonorũ liberationem, Molochi riſum. F Quis hic eſt? P. Qui ſciam? F. Mirum, ni artifex ſit. P. Apparet, nam eſurire videtur, & cum ventre ſermoncinari, ac neſcio quid ingenioſi parere. Haſp. Ingratum ſeculum, quod filios tuos haud nutris, nec per Artes, neque labores, vitæ commoda ſubſternis. Barbarum ſeculum, quod meras artes crepas, & meliora ingenia non aſpicis. Crudele ſeculum, quod ineptias erigis, artifices deprimis. F. Hic homo ſto-

machatur. P. Scilicet; quia venter latrat. Heus tu, quisquis es, respice. H. Miserum relinquite. P. Imò habes, qui cõmisereantur. H Nondũ scis, qui sim. nam primâ vobis facie sumus miserabiles, alterâ ridẽdi. F. Quis ergo es? H. nescio, nã risum vestrũ audire haud lubet. P. Eloquere, nã malus mihi haud videris, nec inculto ingenio. H. Ah! ingeniũ excoluisse scelus est. F. Quæso quis es? H. Accipe hanc chartã. F. legam.

Eheu, quisquis es,
sive te
Architecturæ Secreta,
sive
Machinarum Commoditas
delectat,
Sive tormentorum, Cuniculorum, Artificia,
ignis ludicra
afficiunt,
Sive Aquæ ductuum, fontium elegantiæ,
Motuum diversitates,
Hortorum ornamenta recreant;
Sive Mathesis Mechanica arridet,
Orbis raritates, Ingeniorum fœtus
allubescunt;

Hominem, in his diu voluptatum,
aut
Benignè excipe,
aut
Liberalitate sublevat,
aut
Sine risu & maledictis tuis abire finito.

F. Quid hoc sibi vult? H. Id quod audivisti. F. Túne tot tantarumq; artium peritus es? H. Experire, suscipe, examina. P. Sed quid, ꝙ nemo te recipit? H. Quia omnes faciunt, quod tu facis F. Nūquámne habuisti Patronum. H. Habui, sed *pauci ferre possunt exquisitiorũ ingeniorum fervorem.* F. *Nec illa ferre possunt Patronorum monita.* P. *Nec illa abstinere possunt, à nimia suarum opinionum licentia.* H. *Servire non possunt, nec uno loco esse affixa.* P. *Acquiescere non possunt, nec ulla esse sorte contenta.* F. *Temperare sibi non possunt, nec ferre bonæ rationis præcepta.* H. *Generosa sunt, & facilè universum Mundum despiciunt.* F. *Ambitiosa sunt, & vanis laudibus saturantur.* P. *Temeraria sunt, & frequenti sortis commutatione in miseria*

rias se præcipitant. H. Nónne dixi vobis, si quid nolletis dare, cũ bona pace me ut dimitteretis? P. Equidem dubito, an amanda plus sint, an deploranda vestra ingenia, qui optimum quod Mundus habet, possidetis; nec ejus ullum fructum veriorem possidetis. Nam divitum est, quicquid Ars vestra gignit, nec vobis aliquid præter laborẽ & nudam gloriolam, reliquum quid interest. Vos nummulos arte emitis, illi nummulis artes emunt; H. Es̃ne litteratus? P. fortassis. H. Applica tibi, & tuis, & dixisti optime. F. Audi, ne quid putes, te in littus naufragio tuo ejectum, ubi hominum vestigia non repereris, age in has ædes te cõfer proximas, artium ferè templum, aut hospitium: iis si excludaris, ad me redito. H. Vox hominis. P. Sed ibi instructum oportet accedere insolitis artibus. H. Satis est. P. Si quæ habes de motu perenni, aut volandi mediis, prima adferto. H. Bene mones, bene sit vobis. F. Sis fortunatus, nam id unum tibi deest. P. Quid nos agimus? F. Libet mecum cænare. P. Vtinam hunc nobis Deus morem

restituat, quo olim amici inter se jucũdissimè vixerunt, non sumtuosissimè. F. Nihil est, quod apud me metuas. Nam q̃ tu à ratione petis, id apud me impetrabis ab inopia. P. Eamus, si ex animo loqueris.

SCENA V.

Harlequin.

ST, st, st, tacete Messieurs. Turbonis mei felicitas in fumũ abiit, omnis tinctura, jactatio, spes, propositum, gaudium, pecunia in fumum abiit. Sed obsecro vos ne rideatis, jam ille vitra confringit, & furnos diruit, & libros discerpit, & hominum aspectum fugit. Verùm ne quis rideat, ita fors nostra est. Nemo è vobis est, quem nunquam nimium matura computatio fefellerit. Vah illa 20000. fl. structura jam perit, & frustrà sunt, tot ingeniosæ Iconographiæ, ille Beger noster, heu bonus Beger, jam pendet. Sed unà cum ipso nobis ter mille floreni; nostraq; sancta credulitas, nosterq; infamis pudor, nostraque sera pænitentia, & fabulæ humanæ subjectum, ea nunc pendent. Phui! erubesco: posthac me videbitis nunquam. Adhuc unum, si Turboni superessent nummi,

tolerarem fortassis hanc ignominiã. Nũc valete. Illud superest, quoniã amicus vobis singulis fui, vt exulãti mihi benefaciatis. Valete. Profecto invitus à vobis abstrahor. Nã videmini mihi satisfavere. adieu. Nonne si fortè contingat, me alibi malè audire, vos testes eritis meæ innocentiæ? Salutem plurimam. Deus sit comes itineris. Heu mihi! quã duus sum, qui lacrymas elicere non possum, in ornamentum meæ valedictionis; hem nemóne viaticũ addit? Heu patria! heu laborum meorum locus!

Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quidquam dulce meum.

Recordare, & hunc abitum meum veris gemitib. prosequere. Valete, quid fletis?

Desine migrantẽ lugere viator & hospes,
Non careo Patria, me caret illa magis.

Valete iterum atq; iterum, tertium, quartùm, quintùm & sextùm Valete.

NVNCIVS ELYSIVS

Quarti Interscenii loco emissus,

Peregrinus, Harlequin.

Per. VIgilóne, an dormio, an neutrum

est? Nam quæ ego scio, nemo mihi credet, nec ipse vix mihi credo, adeò dubiũ mihi est, jámne, an antè dormiverim. Vah! hæc terra est? hic Sol? dies est; ego me tango? homines vivos intueor? sed quid si dicã illis venire me ex alio Mundo? quò ego eã, nescio, nec quomodo huc inde sim trãslatus. Ego verò scio, quid viderim, quid audiverim, quid egerim, quid notârim, quid acceperim, quid verbis opus est? ego ibi fui, nunc hîc sum, & mandata quæ expediã, habeo, quæ utinã q̃ primũ cũ viro bono cõmunicare liceat. Iam quidem hunc compellabo. Heus bone vir. Har. Vnde id scis? Per. Quia sic videtur. Har. Vah si hujus urbis homines ex facie dijudicas, æquè ac ego decipieris. Per. Itáne Cor & vultus dissident? H. Stomachum mihi facis, si multa queris. Nã ego quidem decrevi, pauca verba cum nostratib posthac cõmutare. Per. Itáne? H. Certè, nam dum illi libratim loquuntur, me unciatim volunt. Per. Quid ais? H. Nunc universum Mundum mihi displicere. Pe. Itaq; in alterum illum concede. Ha. Estne alius præter

ter hunc molestũ, rancidum, vetulum? Pe. Imò est, atque ille, ex quo nunc venio. H. Tacesis. Nam hoc tibi Politorum nemo credit. Nam hunc unicum sciunt. Pe. Illúmne nesciunt, ubi qui ante nos vixerũt, loca sua habẽt, suas terras & dominia? Ha. Illi viderint, ubi sint, nostrâ parum refert, nos hîc sumus. P. Sed permagni interest; ne, dũ malè hîc agitis, ibi pænas luatis, cujus ego ocularis testis sum. Ha. Si mali coercerentur, non evasisses, quia mentiris. Sed heus, si verus es, ut vivit Aristoteles, q̃ me, & Scholas omnes tãtoperè excruciat? Pe. Si seriò quæras, habebis respõsum: mihi quidẽ in re seriâ nugari non libet. Ha. Audi si apud illos veteres, ubi ubi sint, fuisti, res mihi adeò grata est, quæ dã ex te audire, quã ulla fuit, dũ hic Mundus fuit. Sed obsecro te, mentiri noli, quod nostri propemodũ omnes faciunt. Pe. Ipsa rei narratio fidem tibi faciet, quàm æquè tibi lubens dabo, quã tu audies: id enim mihi injunctum est. H. Hæc demũ vera felicitas est, nova audire ex veteri Mundo. Nam huius Mundi nova, nugæ sunt, ut ut otio-

ſorum collegio placeant. Sed ſedeamus, nã talia ſtantẽ audire fas non eſt. PE. Fac, quod libuerit, mira tamen accipies. HA. Dic mihi, ſatiúſne eſt, me ex te quærere, quæ voluero, an tu prolixam narrationem inſtitues, quam vereor, ut poſſim patienter ſuſtinere. P. Interrogare te jucundius forſan erit, ſed me prolixiùs interdũ reſpondere neceſſum. HA. Vísne ſecundùm demonſtrationis interrogata quæram. An ſit? quid ſit? &c. an minùs eruditè colloqui? P. O he q̃ me exterruiſti! ſi ita pergas, in alterum Mundum redeo. HA. Confide. Nec ego tantum voluptatis inde capio, ſed hîc ita fieri oportet, nos Plebeio more cõfabulabimur. Sed id omninò ſcire me decet, quadratus ne ſit ille Mundus, an Triãgularis? Igneúſne, an Aereus, ſitne in loco, an extra locum, an locus ipſe? an vacuum? PE. Nimium ſublimis es, nec ego capio. HA. Sed an volent ibi homines, an natent, an pendeant, ſcire refert. PE. Imò ambulant, ut nos, loquuntur, nugantur, malè beneq; intermixtim habẽt. H. Quod nomen eſt illi Mundo. PE. Campi Elyſii,

Ha.

Qui cives Mundi alterius. Rollus.

Ha. Itaq́: & fæminæ ibi ſunt? quod nolim. P. Sunt omninò. H. Nunquam me hodie ſolaberis. Nam quem ego volo Mundum, fæminarum expers ſit, quæ nimium moleſtæ ſunt, & puerorum, qui nimium inquieti, & ſenum, qui nimium iracundi, & literatorum, qui nimium ſcioli, & rabularum, qui nimium garruli, & Medicorum, qui nimium invidioſi, & illorum, qui nimium ambitioſi, & illorum qui nimium Tyrannici, & illorum qui nimium infideles, alioquin hîc eſſe tantundem foret. Pe. Noli ſolicitus eſſe de his. Nam ſinguli pænas ſuas habent. Ha. Sed ánne boni ab ijs longè ſeparati ſunt? Pe. Sunt, quoties volunt, ſed plerunq; obambulant, & moleſtiis illorum illudunt. Ha. Hoc velim. Sed tu dic mihi, quid valet Socrates, Plato, Ariſtoteles, Pythagoras, Archimedes, quos ego nunquã abſq; honoris præfatione nomino. Pe. Ego de illis nunquam abſq; riſu cogito. H. Quid? nónne ibi Principes ſunt? Pe. Nequaquam, Socrates quidem mulierib. præfectus eſt, eas corrigat, ſed frequenter lotio perfunditur, ut ferè

pa-

patientiam dediſcat. Plato ideas fabricat, eaſq; binas, interdum ternas obulo vẽdit, ut victum habeat. A. Ariſtoteles Maris refluxũ rimatur, ac plerunq; veſperi madidus & laſſus domũ cum paucis piſciculis redit. Pythagoras fabas cuſtodit, & quoties Aſinum hiantẽ videt, metu corruit, ne abſorbeatur. Archimedes girgillos & crepundia mulierculis facit, & alicuius precii eſt, ſed parum ſplendidè veſtitus. Ha. Hoc erat, q; nimium philoſophati ſunt, quod ego mittam. Sed illa verborum flumina ubi ſunt? Cicero, Demoſthenes, Priſcianus? Pe. Ha, ha, he! Cicero ſingulas voces bilãce examinat, ne quid Græculi numiſmatis ſubrepat. Demoſthenes mutus planè eſt, ex colli tumore, quẽ faſcijs, obvolutũ habet. Priſcianus verò pecora educit, ſcopaſque & virgas ligat. Ha. Perturbas me, ecq; d Livius, Tacitus, Polybius benè habẽt? Pe. Livius toties dentem perdit, quoties mẽtitus eſt. Tacitus explorator ibi eſt, & deprehenſus flagellatur. Polybius ſub portâ annotator eſt. Ha. Licẽtne de Poetis aliquid quærere? Pe. Quidni? Homerus in

con-

conviviis lyram pulsat: Virgilius mulieres abstergit. Ovidius planè miser est. Ha. Quid ita? Pe. Quia castratus, & fæminarũ lusus. H. Comici verò? Pe. Plautus primæ classis Præceptor est furiẽs. Terẽtius eius Provisor sitiens, & Aristophanes calefactor frigens, deniq; inverso ordine, non pueri, sed Magistri subinde vapulant. Ha. Vah quàm ego sæpius errarẽ! Seneca tamen, Epictetus & Zenon valebũt. Pe. Senecæ injunctum est, pauper id præstet, q; dives scripsit, ille verò flet. Epictetus libertatem habet, sed clam Domino suo. Zenõ emissus est, pedes felicitatem quærat. Ha. De Diogene, Menippo, Luciano, nõ ausim interrogare. Pe. Illi lorarii sunt, & canib. pellendis dispositi. Ha. Democritus quæso & Heraclitus quid faciunt? Pe. Hic ridet se flevisse, ille flet, se risisse. Æsopus etiam mirabilis est, qui animaliũ linguas scalpit, ut loqui doceat. Ha. Nondũ Medicos nominasti. P. Libenter. Hyppocrates latrinas purgat. Galenus balneator vetularum est. Geber Carbonarius. Ha. Iurisconsulti tamen florebunt. Pe. Nequaquam. Papinia-

nianus cũ Mulierculis rixatur. Vlpianus pulicum Rempublicam deſcribit. Paulus cicadas regit. HA. Plinius nullus eſt? PE. Imò, ille nova illius Mũdi annotat, habetque pro ſingula hiſtoriâ colaphũ. H. Súmne ego ineptus, qui talia quæro: potius quâ viâ illuc eatur, & quò perveneris eo itinere, mihi mõſtra. PE. Viã equidẽ neſcio, ſic tamen illuc perveni. HA. Mentiri noli. PE. Turbare noli. HA. Vera volo. PE. Certa dico. Calendis Græcis proximis, cũ poſt ſomnum meũ expergefactus eſſem, repertus ſum, an me ipſe reperi? nõ domi meæ, ſed ad Elyſiam portã. H. Vah quam tragicè, quàm vereor, quam orationẽ habeas. PE. Noli metuere. Ibi cũ paulò diſpicerẽ, duo me examinant miris vultibus, linguis immane productis. Vbi me recolligo, agnoſco. Fr. Rabelais. alter ſponte ſe Momum dixerat. Pedelline ibi ſint, an Capelleti, an Gryphones, equidem ignoro, ſed dicto citius me apprehenſum ſiſtunt ad Æacum. HA. Quid ille? PE. Supremus illorum Dictator. HA. Totus tremo. PE. Fortis ſis. HA. Nudúſne illuc veniſti, ſicut in lectulo eras,

an

Nudi in Camp. Elys.

an vestitus? Pe. Nudũ ibi esse oportet. Ha. Iterũ vellem, mulieres abesse. Pe. Nõ corpore nudum saltẽ, sed & animo, ab Eruditione, Potentiâ, ambitione, possessionibus vacuum. Ha. Ineruditũ oportet esse seculum, sed perge. Pe. Æacus ut me primùm videt. Non infrequens nobis est, subinde aliquẽ vocare ex terrâ vestrâ, ac rursus remittere, ut ultrò citròq; accipiamus, demusque nova: Id quod tibi nunc cõtigit, eo nomine felici, unde tuum erit, rem omnem, uti interrogaberis, ordine exponere. Ha. Ego vocãdus eram, qui omnia scio. Pe. Atqui ego vocatus sum, qui nihil scio, Ha. Apparet ineruditos illos esse. Pe. Iam audi. Vix excusaveram imperitiam meam, qui in Patriâ peregrinus essem, cum subitò vocata Elysiensium turba me circumstetit: turba reverà vel solo intuitu admirabilis, auditura huius Mundi nova. Vah! quàm dissimiles ibi, vidi ab iis, quales hic erant, quorumq; conditio nequaquam laudibus illis respondet, quas nos inepti eis dicimus, nec monumentis, quæ illi erexisse creduntur. Cæterum silen-

De mundi hō gubernaē ꝙ: postera.

ſilentio facto; dic nobis, inquit Æacus, hoſpes, quæ ex te quærimus. Tũ alius interrogare juſſus, ait: Súntne Divites apud vos majoris, quã pauperes? Egò ſubitò Omninò reſpondi, & unus quidem Dives malus, præſtat mille bonis. Nec Sapientib. noſtris Sapientia ſua tanti fit, quàm modicum auri: Tum alter: Imperántne apud vos inepti Sapientibus? Ego, utiq; reſpondi, atq; adeò pueri ſenibus; fæminę viris, Stulti Philoſophis; Et his omnib. plus conſuetudo, quàm Ratio, Opinio quàm Neceſſitas. Iterũ alter: Eſtne Vita Sapientum æqualis doctrinæ? Ego, nequaquam, dixi, ſed qui optimè dicit, peſſimè vivit, & qui benè vivere attentant, proſcribũtur. Mox alter: Mortẽne apud vos timetis? Non arbitror, ſubjeci, nam infinita admittimus, quib. mortẽ advocamus, odimus autẽ fortaſſe, & omninò vellemus ſublatam. Iterum alter: Creditíſne Deum? Ego timidè, pauci, reſpondi, aut parcè: qui verò credunt, tacitè id faciunt, ac omninò ut nuſpiam foris appareat. Deniq; ille interrogator meus. Serióne vivitis? inquit. cui ego. Neutiquã, nam

& per-

& personati sumus omnes, & internè conflictamur omnes, & nescimus omnes, & opinamur omnes, & mentimur plerique. Ha. Noli pergere, nam nimiũ tacui. Quid opus erat ex tẽpore respondere: rediisses ad nos petitum consiliũ. Pe. Tum quidem consilio opus mihi non erat, sed veritate. Ha. Nec librum habuisti, quem cõsuleres? Pe. Vah librum ibi locorũ, ubi odiosissimi sunt, & vita, virtusq; non Eruditio æstimatur? Ha. Ibi quidem plebem superbire oportet. Pe. Quid interest, Plebeius sciolo præsit, dum melior. Ha. Cave sis, meliores nos velis facere, aut in illum alterum Mũdum redi: heus tamen. Neminẽ ex nostris vidisti? Quid enim ad nos Veteres isti? Pe. Utiq;. Nam ut primũ ab Æaco de Integritate laudatus, ac mox dimissus sum, irruit in me notorũ circulus, heus Peregrine, ecquid novi, ecqd fers, ecqd scis, ut valeat Uxor, ut cõcubina, ut liberi, ut spurii, ut fratres? Ha. Miseret me tui. P. Hic libri mei sunt ne vẽdibiles, sunt in manib. hominũ? Ille, vinũne hoc anno abũde crevit? Alius, Thesaurus quẽ defodi, repertũ sne est? Alius, Verũmne, viduã meã iterum malè nu-

ptam? Alius, verumne mihi nepotem, nothũ natũ? Alius, verúmne? sed quid opus, talia dicere? uti quisq; terrã hanc reliquit, ita de rerum statu quęsivit usq; ad surditatem meam. Neq; puto evasissem, nisi Æacus curiosos illos omnes duris verberibus abigere jussisset. Ha. Quàm gaudeo desiisse hunc strepitũ, sed de me nemóne fuit solicitus? pe. Fer aliquam moram, fortassis literę ad te datæ sunt, quarũ hic aliquot porto centurias. Ha. Occlusásne. pe. Imò omnes apertas, nam bonâ fide ibi agitur. Ha. O si legere liceret! pe. Licebit! sed intùs. H. Vnicam hîc. pe Accipe. H. *Pœnitens, Sciolo sal. Scito frater, quæ ego te docui, falsa & nulla esse, atq; adeò iam tũ, cùm te docui, nescivisse, sed officij mei erat, tegere ignorantiam, etsi reverâ inscitiam nostram odisse adeo non ita possumus, quàm cum hic nudam intuemur. Si benè habere vis, benè age, reliqua verò & maximè mea dedisce, sic cùm huc veneris, scies, quæ ego nescio. Vale.*

Ha. Quis ille pœnitens. pe. Aurẽ admove. Ha. Vah! & sciolus quis? pe. Alteram por-

porrige. Ha. ho ho, nūc me demum inſcitiæ non pudet, ſi ille jam ignarus, hunc ad inſcitiam provocat. Sed quid eſt, quod hic confiteri nunquā volunt? Pe. Illud eſt, cur ibi fateri cogūtur, ac expiare. H. Aliāne legere licet? Pe. Non, tu exſpectabis, dū hæc omnia in publico conſeſſu prælegātur? H. Tūne facies? P. Sic juſſus ſum. H. Nec vapulabis? Pe. Non puto, ſi mitiora præmittam. H. Quin ego potiùs verberabo te, ne impūnè dicas tam lucidā veritatē. Pe. A te quidem parū ut video periculi, potiùs audi quæ generalia mandata referam. Ha. Unū prius mihi dic: pacificine illi omnes ſunt, an habent lites? Pe. Multas atq; clamoſiſſimas, ſed quiſquis perdit, peſſimè habet. Exempla audi. Hic Lunares, Solareſque incolas ſtatuit, negat alius, ad judicē. Hic Terram moveri picturis aſſerit, negat alius, ad judicem. Hic temporis concentum ait, ille promiſcuum fluxum, ad judicem. Hic perpetuum jactat motum, negat alius, ad judicem. Hic Circulum quadrat, ille inquadrabilem ait, negat alius, ad judicem. Hic ſimilia ſimilibus curari

ait,

ait, alter dissimilibus, ad judicem. Ille jus perfectum fingit, hic ineptiã clamitat, ad judicem. Hic syllogismum triterminalem habet: alter quadrupedem, Ergo ad judicem. Ha. Desine, Nam si talia sint litigia, reliqua facilè conjicio. P. Sed hoc interest, quod uno prope temporis puncto solutio fit, ac sententia ultima, quam insequuntur verbera, quæ persequũtur tergora. H. Vt relatio tua est, nõdum video. hicne, an ibi esse malim? Pe. Hoc potiùs cogita, cũ hæc desierit, illam incipere. H. Mandata tua audiamus. Pe. Ecce.

Elysu, Terrenis sapere.

Cùm catervatim ad nos descendatis quotidiè, multi venitis ad ignominiam vestram, ad honores pauci. Quod omnino vellemus emendatum, sociorũ enim indigni sumus, nõ castigandorum. Sive itaq; error vos detinet, sive malitia vestra, scitote Simplices, Candidos, veros, & rerum vestrarum maximè ignaros, deniq; liberos & liberales nos exoptare. Hîc. n. quibus indignè caruistis, accipietis; quæ iniquè possedistis, deponetis, illud fidißimè, hoc turpißime. Valete.

H. Quid

H. Quid si literæ hæ fictitiæ forent? ego hîc carerem & fame morerer, nec esset ibi, qui me subitò ditaret. P. Tentandum est. H. Ab alio hoc exige, à me quidẽ nunquã impetrabis. Quæ hîc habeo, possidebo, cũ abibo, aliis relinquã: ibi quid futurũ sit, nescio. Pe. Apparet te verbis meis nõ credere, sed ingrediamur, ut plura ex me audias, pluraq; accipias, quæ te fortasse convincent. H. Abeamus sanè, sed hæc tua talia sunt, quæ malus nõ curat, bonus omnia nec credit, nec credet, nec credat.

ACTVS QVINTI.

SCENA I.

Sapientia.

1. Veritas. 2. Tranquillitas. 3. Acquiescentia. 4. Mediocritas. 5. Iudicium. 6. Eruditio. 7. Integritas. 8. Simplicitas. 9. Tolerantia. 10. Solitudo. 11. Contemplatio. 12. Mors.

Sap. CONvenistis sorores, Orbis lumina, Felicitatis ministræ. Ver. En

nos Sapientias omnes, ita ut jussisti. Sap. Placet, & quàm vos simul intueor lubens! Terrarũ solatiũ! sine quo credo hæc Machina dudum corruisset. Ver. Dei hæc clementia est, ꝙ in paucissimorum pectoribus supersumus, & societatem humanã, quasi glutine etiamnũ conservamus. Sap. Quòd vos cõvocavi sorores, causam accipite. Permulti sunt, qui nos revera ambiunt, & ingenti labore cõciliare satagũt, atq; in eo nec studiis parcũt, nec sumptib. nec manuductoribus carent, & informatoribus, tandem ubi diu, diutissimè frustrà desudarunt, nec exorarunt propitias, nos nõ secus ac Fortunam ipsam, cæcas, lubricas, iniquas, & fugitivas accusant, quæ immani crudelitate amatoribus nostris non cõpareamus. Anne idem vobis innotuit? Ver. Omninò Sapientia, Ita enim fodiunt homines quærẽdo, ut vix locus sit, ubi effossam terram congerant. Tran. Et me homines quærũt in patinis, poculis, lectulis, libellis, ubiq;, ubi non sum. Acq. Me verò in arcis, in cavernis, in titulis. Med. Mihi insidiantur pauperes. Iud. mihi Critici, Politici. Eru. Ego integros exercitus

De cultura Virtum.

alo, qui me prosequũtur. Int. At ego penè spreta delitco. Simp. Stultitiam homines appetunt, non simplicitatẽ. Tol. Me extra pericula quærunt. Sol. Me homines in sylvis venantur. Cont. At me inter pulices, cimices, pediculos quærunt. Mors. me fugiunt homines, & quærũt. Sup. Itaq; sorores, vestrâ culpâ minus fit, quòd nuspiã id invenerint homines, q̃ quærere videtur, nã aut omninò nõ quærũt, qui supini sunt ac bestiales: aut aliquid aliud, sub vestro integumento, quærunt, iiq; quibus nunc Mundus scatet, Hypocritæ sunt, aut ibi vos non quærunt, ubi estis, & pro vobis vestras imagines, statuũt, aut larvas amplectuntur. Itaq; si fieri posset, ut hos tertios admoneremus, nónne id impetraremus, quod utrinq; optamus, scilicet jucundissimam ac beatissimam cum hominibus cõversationem. Ver. Nescio, mihi quidem adeò desperati videtur hominũ errores, vt ferè ineptior reliquis appareat, qui corrigi reliquos, aut flecti posse sperat. Iud. Ineptissimus, qui tentat. Nam si hodie è Mundo infelicia cuncta tollas, cras suppullu-

Quenam Chrs det,

labunt plura & infeliciora. Med. Mihi datum est, quietē dare, libertatem, & Satietatē, quam vos frustrà quæritis. Ver. Nequaquam, sed ille dabit Christus, qui de hoc universo nos exactè edocet, & peregrinationis mortalis perfectum iter ostendit. Tran. Qui nobis omnes affectuū & turbationum fluctus cōpescit. Acq. Qui nobis, quod appetimus bonum sufficientissimū est. Med. Qui à nobis omne superfluū, & abundans amovet. Iud. Qui contra omnē Mūdi opinionem sentit, præcipit, judicat. Erud. Cujus sciētia summa est. Int. Et ipsa bonitas est. Simp. Et Agnus immaculatus. Tol. ovisq; silens. Sol. Qui inter terrarum strepitus non exauditur. Cont. Erres, nostra omnes præsentes intuetur. Mors. Et Mortis mors est. Sap. Ah! qui fit, ut ab ullo alio, vel ullibi aliàs, aut sciendi perfectionem, aut agendi excellentiam, aut vivendi regulas quærant? Ver. Cur extra verbum Dei? Tr. Cur extra animæ quietem? Acq. Cur extra voluntatis divinę cum humanâ consensum? Med. Cur extra donorū spiritus modum? Iud. Cur extra Christianismi

ratio-

Chrg decet oes Virtes.

rationem? Erud. Cur extra crucis disci, linam? Int. Cur extra Charitatis conversationem? Simp Cur extra doctam ignorãtiam? Tol. Cur extra asperam semitam? Soli. Cur extra animæ despõsatæ silentiũ? Con. Cur extra Solis perlustrantis radios? Mors. Cur extra meum conductum? Sap. Sic est, meæ sorores, quoniam extra Christi centrum divagantur mortales, nõ reperiunt, ubi cõquiescant, aut acquiescãt, sed torquentur iis ipsis, quæ eis in solatiũ data sunt. Politia scilicet, artibus, jucũditate, victu, amictu, & cunctis hominis ornamentis simul ac instrumẽtis. Verùm cùm pauci nobis serviant, & discussa nebularũ densitate, penetrẽt, ánne horũ etiã curam abjiciemus? Ver. Nequaquã: sed informandi boni sunt. Tranq. Et sedandi. Acq. Et satiandi. Med. Et moderandi. Iud Et acuendi. Eru Et erudiendi. Int. Et laudandi. Simp Et cohibendi. Tol. Et consolandi. Sol. Et abstrahendi. Con Et sustollendi. Mors. Et malis omnibus eripiendi. Sap. Itaq; propter eos vos convocavi, ut mecum contemplaremini terras, si-

Status hujus mun: di-

cubi haberemus, qui vincula excutere, & de libertate solidâ cogitare ausint, quique nostrâ conversatione uti velint, iis adessemus, & cum malorum risu ac fremitu eriperemus. Sistite nobis in medium Globũ. Contemp. Reposui. Sap. Vah *stultorum plena omnia*! Ver *Et erroribus referta cuncta*! Tranq. Passim turbæ! Acq. Et ubiq; appetitus! Med. Nusquam medium. Iud. ab opinione cuncta! Erud. Vah sciolorum turbam! Int. Et fraudũ chaos! Simp. Vbi Candor? Tol. Nemo tolerat. Sol. Phy! formicarum discursus! Con. Et glirium sopor. Mors. Et Mortis affectata oblivio ubiq;. Sap. Sed videtisne, sorores, quàm nostro nomine se alii venditẽt. Ecce Socratem! Ver. Hic se jactat Aristoteles. Tran. Hic scribit Seneca. Acq. Et Diogenes dolium volutat. Med. Et Plato exquisitè incedit. Iud. En Democritum homines ridentẽ! Er En Hermetem omnia excogitantem. Int. Mundus agit Histrioniã. Sim. Eamq; stupidam. Tol. Epicurus hic de Phalaridis tauro disserit. Soli. Et desperatio in sylvis oberrat. Cont. Et noctuæ

inter

inter lumina versantur. Mors. Ego verò hos omnes pudefacio, & errorem infelicem prima aperio. Sap. *Ea est infelicitas Terræ, ut magnis commotionibus abripiantur etiam boni, inscii, aut nequicquam reluctantes.* Ver. Et verbum Domini emigrat è loco in locum. Tran. Et affectuum æstus ex seculis mutantur. Acq. Iam Mundus senescens & exsanguis hominibus satisfacere non potest. Med. Et æquilibriũ nullum superest. Iud. *Ægri oculi, malus visus.* Eru. Invalescit barbaries. Integ. *Probrum est esse probum.* Simp. Nuspiam non larvæ. Tol. Laudis æquè, ac vituperii intolerabiles sunt homines. Soli. Et multitudini plus credunt, quàm sibi. Cont. Relata credunt. Mors. Et mori nunquam discere volunt, ne unquam vivãt. Nec vivere ita volunt, ut mori ausint, sed mortẽ habent, ad pænas lictorẽ, non ad æternas nuptias paranymphum. Sap. Satis est, meæ sorores, postquam de vestra sententia mihi constat. Nos jam Deo nostro sacra peragemus, pòst mortalium miseriæ prospecturæ.

CHORVS.

Heu spes fugaces, votaq; inania
Mortalium! quo præcipites agit
Incertus error? quid miseros labor
Iugis fatigat? Cordis ab intimo
Quid angulo suspiria ducitis?
Mortemq; crebra morte lacessitis?
quærendo vitam, nec reperiēdo quietem.
An illa nunquam est, aut erit, aut fuit?
forsan sub umbra desidè pulveris,
Aut nocte cæca, aut antro Erebi jacet
mersa in profundis, aut clepit invida
clam se illa vobis, aut nimium ferox
firmavit ære Cor sibi triplici,
Vt nolit vestris sese incurvare querelis.
Sed vos, qui etiam haud quæritis anxij
Vitam, ô homuli! quæritis arduis
Inflata vulgi nomina plausibus,
Sortisq; dona, & Encyclopædiam
Rerum universam, quicquid & hæc jubet.
Ah vanitatis credula vanitas!
Illa queunt vobis lernam accumulare malorum.
Devota cassis pectora ineptiis,
frustrà quod illinc quæritis, illud hîc,
Hîc illud! En gurgustiolum, en casam!

En palliastrum: imò quoque, si lubet,
Imam in cutem defigite ocellulos,
Hic fixa Mater sede sedet Quies.
H. Pulsate, illa suas reseraverit obvia portas.
Ille ille Mundi Rector, & Arbiter
Cælestis auræ particulam indidit
vobis ab alto: divite pectora
Æternitatis seminio beans
Mactansque sacræ munere vos Fidei,
Verboque amoris lumina ventilat,
H. Hæc vobis poterunt ævum impertire quietum.
Quapropter inter vos modò postmodum
Æqualiter si vivere vultis, &
Fraternè, & iræ prælia mutua
Vitare, Sortis si patienter, &
Sufferre prompto fulmina pectore,
Simulque vitam degere simplicem,
H. Nulla intercipiet vestrã turbella quietẽ.
Ergo beatum vivite seculum,
fluxi exuentes exuvias soli,
Anhela Cœlo lumina patrio
Defixa habentes, mutua mutuis
Vna cremantes pectora amoribus,

Sic sic locatis cœlitum in aureis
sedibus ô sedes ostendent fata quietas!

SCENA II.

Turbo.

T. COnverte Titan clarè anhelantes equos. Emitte noctem, pereat hic Mundo dies, quo deceptus sum, atra nube inhorrescat polus; obstent tenebræ hominum oculis. Nunc Deus cæcum chaos redde. Ah, ah, ah!

Excidat illa dies ævo, ne postera credant
secula ———

Hem! ne quis hominũ me intueatur. Moriar, moriar. Nam nec Solem, nec homines, nec noctem, nec me ipsum ferre possum. ubi, ubi sum? Turbonem, Vah miserum Turbonem circumfero.

O mihi præteritos reddat si nunc Deus annos,
O mihi decoctum reddat si nunc Deus aurũ.

Vah! Turbo post omnem infelicitatem sibi infelix superest, nec vitâ quicquã habet infelicius, ipse sibi accusator, irrisor, condemnator, tortor, carnifex est. Vah, Turbo, Turbo, Turbo!

qui

qui bona dilapidat omnia prolapide.
Vah sic decet, qui Consul sibi, Senatus, Populusq; esse voluit. Turbo literarum contemptor, Orbis discursor, Amator, Artifex hîc obambulat, & invisas habet Mundi creaturas. Vitam si liceat fingere arbitrio meo, eligerẽ pro domo specum, pro vestimento atram nubem, pro luce cæcitatem, pro harmonia ululatum, pro victu aconita, pro recreatione lethargum, pro scientia stuporem, pro omni felicitate oblivionem. Vah quid fingo? En hic sum, hic sum. En ego sum Eruditorum subjectum, risus materia, increpationum scopus, miseriarum complementum. Ah, Ah! quàm molesta mihi es vita! qua cum Turbone esse cogor! quàm molesta mihi es lingua, quæ meam miseriam explicas! quàm molesti mihi estis oculi, qui me indignum tam lucente machina judicatis! infelix Turbo, contra quem omnis error, omnis inquietudo, omnis labor conspirarunt, ut pessundarent unicum. Ah, Natura! quàm à tuo favore impetrare non potui quietem, obtineam quæso ab

indignatione tua, interime hominem, qui tibi tantoperè displicuit, quem ad Fortunæ crudelem exagitationem condemnasti, patere meâ morte morti finem imponi, & corpusculi huius exinanitione, iræ tuæ satisfieri. Ego peribo homo perditus, & hanc depressam animam exonerabo, pendeat in aere mea mobilitas, & cadaveris agitatio testetur de ingenio meo! Ah insons ego, qui quærendo peccavi, & curiositate meâ naturâ offendi, & cùm te quærerem, ô Sapientia, stultitiâ reperi, & quod nusquam esses, non nisi in desperatione inveni. prius cuncta tẽtavi, nec desii, donec mihi pararem amplã luctus, doloris, infamiæ materiam, heu, heu, heu mihi! quid inter homines agam, inter quos cũ benè adhuc haberem, boni reperi nihil? quid nunc exspecto, nisi cavilla, dicteria, scommata? Hic agã vitam inter beluas, & invisam animam expellam rigiditate. Ah quis me convertet in petram, sed jam cor meũ petrâ durius est. Quis gratulabitur beluis de concive? vah illas quoq; stultitiã meam scire, suspicor. Hem itáne datur, si quis stare suo

re ſuo loco neſcit, ne quod placeat ei, reperiat? Miſer ego, & infelicis curioſitatis infeliciſſimum exemplum, quo me vertã? Opes perierunt, Amici perierũt, Anni perierunt, vires perierũt, animus periit, gaudium periit, & quæ reliquos nuſquam derelinquit, Spes periit, dehiſce tellus. Heus natura! ego paucis acquieſcerem, ſed paucum mihi nõ permiſiſtireliquum. In jus, natura: quid enim peccavi, ut me infra animaliũ omnium ſortem condemnares? Sed comprimam me, ne meis ejulatib. tibi voluptatem faciam, ô dura verbera, verbera, hoc tibi duritie meâ eripiam, ne delecteris, & inter plagas tuas tibi inſultabo. O dolor, nihil agis! Vah, cor mihi colliqueſcit, & indignitas igne corpus meum conflagrat. Egóne is ſum, quem Poeta Tragædiis ſuis eligere potuiſſet? tace Turbo, obmuteſce, & hanc loquacem animam ſuffoca. heu, heu mihi! quæ hæ ſunt, itáne nuſpiam ſolus ſum? Ah

tenebræ, arbuſta, umbræ,
tegite me.

SCENA III.

Sapientia cum Choro.

Fama, Dives, Sciens.
Honoratus, Felix, Turbo.

Sap. PRoclama Fama, quæ jussa es eloqui. Fama. *Audite mortales, ne quis posthac aut opes, aut scientias, aut honores, aut vitam beatam à Fortuna frustrà expectet, aut petat, sed quotquot ea ambiunt Boni, Sapientiam conveniant, quæ datura est hodie singulis, quæ petierint.* Sap. Mirabor, si quis accedat. Fama. *Audite mortales, &c.* Sap. Nemóne cõmovetur? Ver. Dixíne tibi Sapiẽtia paucissimos esse, q̃ nostri cura tangãtur? Sap. Sed illi paucissimi ubi sunt? Fama. *Audite mortales. &c.* Sap. Ita nunc est. Qui sapiunt, delitescunt, tacent, expectant. Ver. Non puto nobis defuturos aliquos, jam fama quartam plagam respicit. Fama. *Audite mortales, &c.* Ver. Ecce! Dives. Credámne ego Sapientiam mihi thesauros daturam? Vah splendidũ consessum! Sap. Quis tu es? Div. Ha, nónne ex sacco cõjicis? Sap. Quid tibi vis?

Div. ut hunc mihi ſaccum auro impleas. Sap. Non tibi hactenus licuit ſatis corradere? Div. Nam & trans mare, & ſub terra, & laborib. & ſupputationibus, & dexteritate, & terræ naſcentib. quæſivi, ut diteſcerẽ, ſed fruſtra. Sap. Quantum petis? Div. Tantum quadraginta millia ducatorum. Sap. Et acquieſces? Div. Erravi, ſexaginta millia. Sap. Sed tum acquieſces? Div. Obſecro te, ne ſuccenſeas mihi, liceat centum millia petere, propter perfectionem numeri. Sap. Concede ad ſcamnum illud. Acq. Aperi ſaccũ, & accipe Acquieſcentiam; Med. Et adjunge Mediocritatem. Simp. Et adjice Simplicitatem. Sap. Ita ditiſſimus eris. Div. Súmne ego ſtultior, an vos? quid hoc eſt? vah impoſturã! malè vobis ſit! mihi domum properandũ eſt, ne quid intereà fures abſtulerint. Ver. vides ingenia hominum? ſed euge inflatũ, turgidulum, nitidulum, comtulum! Sci. Profectò hîc Parnaſſus eſt, niſi quod Pegaſum non intueor. Sed quo genere exordiar, didaſcalicóne, an demonſtrativo? certè grandi. Sap. Quid tu tecum mur-

Scientis petitum.

murmuras, amice? Sci. Si quid est in me ingenii, quod scio, quàm sit exiguũ, ut dicendi facultatis, q̃ sterilem agnosco, meritò ad te defero, inclita Regina, ut cùm de studiis meis, profectibus & literariis tẽtaminibus, tu sola cognoveris, indicaverisq; ego quid addere mihi, quâ viâ favorẽ tuũ mihi promereri. Sap. Abrumpe mi homo, quid petis? Sc. Sine me Regina pervenire, si placet, quò volo? & audies singula. Sap. Quid in manu geris? Sci. Vah jam explicaturus eram. Sap. Nónne per infundibulũ hoc, vis tibi infundi Artes, sciẽtias? Sci. Nõ benè accepisti, pace tuâ dixerim, hoc meũ attuli infundibulum, ut cum tuo cõferrẽ. Sap. Ita fiet, secede ad illud scamnum. Iud. Itaq; infundo tibi judicii decem mẽsuras. Erud. Et solidæ Eruditionis viginti. Cont. Et exactæ cõtẽplationis triginta. Sap. Addite Helleborum. Sci. Súmne ego stultus? cui sic illudatis. Sap. Benè dixisti. Sci. Malè pereã, & Musas omnes habeam iratas, nisi me justo libro satyrico ulciscar. Sap. Abi Satyre. Sci. Vah ad Scientias ibã, & librorum strues, hic mera insania est. Sap. Abi.

hem

hem monſtrum! Hon. Quid faciã, mihi ne detrahendus pileus eſt? Mulieres ſunt, neſcio, quo fato hûc venerim, metuo riſum. Sap. Quis tu es? Vnde venis? quid vis? eloquere. Hon. Aliter vocatus ſum. Sap. Quid petis? Hono. Me ——

tollere humo, & ſublimè virûm volitare per ora.

Sap. Cui bono? Hon. Valete. Sap. Exſpecta: jã dabitur tibi, quàm intractabilis es? Tran. Accipe ornamentum tuũ Trãquillitatem. Tol. Et inſide aſino tolerantiæ. Soli. Et tege te ſolitudine. Ho. Sceleſtiſſimæ meretriculæ! Sap. Mors, Mor: Hem tibi ſcelus! Hon. Væ mihi! Sap. magno onere liberatæ ſumus, ſed quid hic cunctabundus vult & ſuſpirans? Fel. Ah! utinam tandem via cõtingat, qua felix ſim! hactenus omnes fefellerunt. Sap. Quid deſideras, mi homo? Fel. Ah Sapientia jam dudũ eſt, quod felicitatẽ quæro. hâc, illâc, intus, foris: ſuprà, infrà; nuſpiã eſt, ſuccurre quæſo, nam felicitatẽ quærendo, perpetuum infelix ſum. Sap. Anne quæſiviſti in veritate? Fel. Nondum. Mors. Sed apud me?

Felicis.

Fel.

Fel. Phy. l. Deus me servet. Sap. Equidem, prætér has, tibi felicitatem nullam dabo. Fel. Nullam? Mors. Nullam unquam. Fel. Ego abeo, nam frustrà quæsivi. Sap. *Sic est, Vbi bona hominum reposita sunt, ibi quærere nolunt: alibi omnes terras perfodiunt, omnia maria transcurrunt,* Ver. Nemóne restat? Sap. Nemo. Ve. Hem! quis hûc prorepit? Sap. Ah miserum spectaculum! Turb. Heu mihi! Sap. Quis tu es? Turb. Heu mihi! Sap. Quid vis tibi? Turb. Heu mihi! Mors. Hûc ego hominé absolvã. Turb. Obsecro te Sapientia. Sap. Quis es? Turb. Ego Turbo sum. Sap. Hem túne Turbo es? T. Heu mihi! Sap. Cur huc venisti? Turb. Omnia habes, Turbo sum. Sap. Túne ille fortunatus, voluntatis tuæ arbiter? Omnium vitæ generũ explorator? Naturæ examinator? Turb. Cuncta fui, conducit nihil. Sap. Quin alia adhuc tibi superfunt, ea tentes. Turb. Heu, heu mihi! Sap. Surge mi fili, surge: nam satis mihi notus es: venisti tandem, quò voluisti, sed viâ indirectâ. Erigite eum. Ver. Libenter. Surge Turbo, non dejicieris amplius.

Turbo fater se n̄ redte
q̄siviose Sapiēam.

pliùs. Turb. *Qui iacet in terra, non habet, unde cadat.* Sap. Erigite eum, cum hominib. nobis res est, nō canibus. Quid doles, Turbo? quid accidit tibi? Turb. Ah Ego ab omni ætate te quæsivi, nec reperi. Sap Vbi quæsivisti? Turb. Vah molestus Catalogus est; in Literis, Experientia, fama, Artibus, Corporis formatione, Linguis, Amore, Odio, Gaudio, Tristitiâ, Cōversatione, Solitudine, & Naturæ cunctis Angulis. Sap. Malè quæsivisti. Nunquámne intra te investigasti Tur. Ah quid Turbo intra se habeat solidi? Mare vanitatum Turbo est. Sap. Cogita, non intra te illas enatas esse, sed violenter intrusas, per sensuum januas. Sed ánne apud Deum me quæsivisti? Turb. Scio sapientissimum Deum, at ego terrenam Sapientiam affectabam. Sap. *Profecto quicunque extra Deum ullum bonum quærunt, nunquam non malum inveniunt.* Verùm nónnè mirabile est nobis de omni eo, quod homini Christiano cum Deo intercedit, satis constare, nec tamen velle ab eo scopum, ac vitæ regulam acci-

In Deo Sap.ª
q̄renda ē.

accipere, sed plerosq; gaudere, si veluti oblivisci possint Dei, & humano vivere more ausint. quàm multi optant Deum non omnipotentem, non omniscium, non omnipræsentem. Turb. Exhorresco. Sap. Itaq; non lugebis, nuspiam te in Mundo quietem, voluptatē, aut solidi quid boni reperisse, omnia infausta, vana, ridicula, incerta, fallacia, furcata, turbida habuisse. Sed lugebis, toties pręteriisse Sapientiam, quæ astitit, provocavit. Turb Mēne? Sap. Te equidē. Nā quotiescunq; impegisti, tū te ego revocavi, quoties de Deo bona cogitatio succurrit, Ego astiti: quoties Mundum risisti, ego suggessi. Turb. Itáne invisibilis es? Sap. Et invisibilis, & tolerans, & silens, & pauper, & si ita placet, agrestis, ac ridicula: tu verò plurimùm errasti, eùm me inter sciolos, aut pomposos, aut gesticulatores aut turbidos, aut strepero s, aut nugatores, quæreres. Turb. Ah Sapientia! de his nunquam admonitus sum, sed judicavi mihi Mundum explorandum, & penetrandum, perfodiendum & discurren-

rendum, usque dum reperirem quietis, scientiæ, excellentiæ sublimem locum. scilicet sciendum aliquid erat. Mors. *Satis scit, qui scit mori.* Med. *Satis scit, qui scit modum.* Con. *Satis scit, qui scit Mundum.* Sol. *Satis scit, qui se scit.* Ver. *satis scit, qui Deum scit.* Turb. Sed habere aliquid necesse est. Iud. *Rationem habere, abundè est.* Ver. *Deum habere, abundè est.* Turb. Sed posse aliquid jucundum est. M. *Posse mori sufficiat.* Turb. Sed quis illa sciet, nonne etiam notus sim? Mors. Mihi notus eris, confide. Inte. Bonis notus eris, confide. Iud. Tibi notus eris, confide. Ver. Deo notus eris, confide. Tur. Vah, quam longè alia hæc sunt, quàm alibi audio. Nunc ego nec pauperpatem timeo, nec infamiam, nec ignorantiam. Sap. Iam resipis. Tur. Et mecum acquiescam. Sap. Bene. Turb. Et vanitates ridebo. Sap. Ita. Turb. Et silebo, tolerabo, vitabo. Sap. Optimè. Turb. Et mihi ipsi acutus inspector, censor, judex, herus ero. Sap.

Resipiscit Tur. Euge bo.

Turbo fit Sereng.

Euge mi fili! Turb. Quoquò me jam verto, omnia placent, omnia ſerena ſunt, tuta, compoſita. Sap. Nempe quia expuliſti turbatores tuos. Turb. Non ego poſthac Turbo vocabor, ſed Serenus. Sap. Ne properes fili, ſuperſunt tibi inſidiæ à Sathana, Mũdo, Carne, quas nunquam ita devinces, ne non vulnereris. Turb. Itaque ad Chriſtum me conferam. Sap. Sapis. Ver. Is tibi explicabit, quàm expediat tibi ſub hâc carnali ſarcinâ non nimium ſapere. Tran. Idem tibi aperiet, quàm tibi conducat, non nimium quieſcere. Acq. Et quàm tibi proſit, non ſemper conſolatione ac donis abundare. Med. Et quam conferat tibi cum Mundi fluctibus conflictari. Iud. Quàm utile ſit tibi, de rebus divinis judicium ſuſpendere. Eru. Quam fructuoſum, plurimum ignorare. Inte. Quam tuâ referat, Adami tectam malitiam, & ſimulatam bonitatem agnoſcere. Simp. Quàm commodum tibi ſit, hominibus ſtultum videri. Tol. Quàm tuâ interſit,

Quid Christus sit doctur Turbonem.

sit, cruce carnis, pigritiam excitare, luxuriam cohibere. So. Quo tuo bono te intra arcam includas. Cont. Quâ tuâ felicitate, in Dei actionem, comœdiam, magnalia, sis intentus. Mors. Qua tua necessitate tandem hanc miseram, imperfectamq; vitam finias. Turbo. Creator Deus, Benefactor Christe, Illuminator Spiritus, quas tibi grates referam, qui, quæ abscondita hactenus, & abstrusissima credidi bona, in Cor hoc meum seminasti, & jam aperire se, excrescere, & fructum ferre voluisti. Accipe hoc ipsum cor, quod tibi humiliter offero, & posthac in te discere, possidere, saturari, conquiescere æternum sine. Sap. Amen. Chorus. Amen. Sap. Ingrediamur, ut posthac nobiscum vivas. Salve redivive. Chor. Salve plurimum & sempiternum. Turb. O gaudium! vos spectatores valete, & si quis meo exemplo animo inquietus, mente turbidus, appetitibus indomitus, ingenio

Adhort. vaga- & Dehortat.

vagabundus eſt, judicio delirus inter vos eſt, meo exemplo, ad ſe, & ad has, & ad hãc, & ad illum ſupremum noſtrum redeat. Interea ſi meæ diſplicuerunt turbæ, placuit converſio. Benigno ſigno plauſum edite.

DEO GLORIA.

Qui rem conturbat propriam, mox decoquit illam
Ollaq; ſic eadem, rem, nihilumq; capit.

T. D.

21070

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg